



PATHOLOGIA THERAPIAQUE,

QUAS

IN USUS SUARUM

PRÆLECTIONUM,

PRÆSERTIM EX APHORISMIS

MAGNI BOERHAVII, TUM EX OPERIBUS

GERARDI VAN SWIETEN,

HEISTERI, &c.

CONCINNAVIT

MATTHÆUS COLLIN,

EXCELSI REGIMINIS AUSTRIÆ INFERIORIS CONSI-

LIARIUS, ET IN UNIVERSITATE VIN-

DOBONENSI PROFESSOR.

32 JUL 2004

INST. MED. FARM.

Tinga

Bibliotheca

Inv. nr. 89306

VINDOBONÆ,

APUD CHRISTIAN. FRIDERIC. WAPPLER.

MDCCXCIII.

AUCTOR

SUIS AUDITORIBUS.

En libellus charissimi juvenes, unice in vestram gratiam exaratus. Arduum studium conatus sum vobis allevare. Consuetam longitudinem excedunt paragraphi plurimi; quod argumenta, quorum connexus intellectui, memoriæque succurrit, disjungere nolui. Sensi semper quam auditoribus damnosa, imo quam explicanti molesta sit frequentior indicatio paragraphorum perpetuo sermonem, qui cohærere debuisset, interrumpens. Ita dispositi sunt,
ut

ut ubi res patitur, priores subse-
quentibus plerumque facem præfe-
rant. Supra indicantur objecta, de
quibus agitur in paragrapho: quod
& legentis mentem haud parum ju-
vare, & ad refricandam prompte
rerum memoriam perutile visum. Ubi-
que stilo, sum usus simplicissimo.
Valete. Vindobonæ die 31. Augu-
sti 1792.





P A T H O L O G I A .

§. 1. *Functiones corporis humani.*

Partium humani corporis functiones sunt privatae, communes, voluntariae, automaticae, mixtae, dein huic illive sexui propriae.

§. 2. *Quibus classibus comprehendantur.*

Eadem functiones distinguuntur in vitales, animales & naturales. Vitales nominantur illae, sine quibus vita esse non potest: animales illae, quae pendent ab anima, aut quae animam mutant in suis cogitationibus; sunt sensus tam interni, quam externi, motusque voluntarii: naturales, quae mutant ingesta in naturam assumentis, ac nocitura

excernunt, aut aliquid aptum huic officio conservant.

Usum earum, & quomodo peragantur, docet physiologia.

§. 3. *Quid sit sanitas, & vita perfecta, quid mors.*

Sanitas autem est facultas exercendi has easdem functiones facile, læte, convenienter & cum quadam constantia: atque hæc est vita perfecta.

Sed vita superest quamdiu quædam functiones supersunt. Mors igitur est talis extinctio actionum omnium, ut nulla revocari queat.

§. 4. *Quid morbus, quæ idea ejus.*

Status corporis viventis tollens facultatem exercendæ actionis cujuscumque vocatur morbus. Ejus idea est absentiaë requisiti ad exercitium possibile actionis; vel præsentiaë repugnantis eidem exercitio. Nec mentio animæ fit in hac definitione: quoniam ejus, ut Entis immutabilis, facultates tantum vitio corporis depravantur, minuunturque; & eas medicina restituit in solum corpus agens,

§. 5. *De natura morbi cognoscenda.*

Natura morbi, seu ejus intima qualitas eruitur ex attenta consideratione mutationum tam in fluidis, solidisque, quam in actionibus contingentium: sic enim perspicitur conditionis requiritæ defectus, ejusque species; hinc & indoles morbi.

Hæc cognitio comparatur intellectu quatuor capitum, in quæ Pathologia dividitur: quæ sunt differentia morborum, Ætiologia, Symptomatologia & Semiotica.

MORBORUM DIFFERENTIÆ.

§. 6. *Morbi similes.*

Morbi partium simplicissimarum, similes dicti, consistunt in cohæsione vitiosa particularum minimarum. Intelliguntur nimium robur, rigiditas, nimia laxitas, debilitas, soluta unitas; imo quivis morbus malæ structuræ, nam est effectus incongruæ nutritionis.

Huc referendi non sunt morbi temperiei, seu elementarii veterum: non sunt partium simplicium.

MORBI ORGANICI.

§. 7. *Quid morbus organicus.*

Morbi partium solidarum, quæ jam ita compositæ sunt, ut motu humorum actionem in modum instrumenti peragere, vel vi suæ conformationis nexusque munus aliud præstare valeant, organici nominantur; qui nunc indicandi sunt.

§. 8. *De mala conformatione, numero partium organicarum peccante, affectionibus membranarum.*

Primum est mala conformatio: quæ reperitur in figura, directioneque, tum superficialium scabritie, aut lævitate; gravesque morbos, vel magna incommoda parit, prout certa pars sic constituta est.

Numerus partium organicarum excedit, vel deficit. Sed numerus major non est morbus, nisi sequatur actionis læsio: minor vero sæpe pro morbo habendus est.

Vasa majora, sinus, receptacula, aliæque membranæ sunt obnoxia nimix dilatationi, distractioni, dilacerationi, ac erosioni.

§. 9. *De anastomosi, diapedesi & diæresi.*

At in vasis minoribus oriuntur vitia cavitatis auctæ, aut novæ natæ: sunt Anastomosis, Diapedesis, Diæresis. In prima, dilatatæ cavitatis ora emittunt retinendum. In secunda, membranæ sic dilatantur, ut interstitia hiantia nascantur dimittentia continendum. In tertia contigit cohærentium vera separatio; quæ si ab erosione fiat, Diabrosis appellatur.

Turbant secretionem, producunt hæmorrhagias, evacuationes nimias, effusionesque.

§. 10. *De obstructionibus.*

Frequentissimus etiam morbus vasorum minorum est obstructio: in qua humorum transitus per vascula difficilior est, vel inhibitus; & tunc non tantum liquidi transmittitur quantum deberet, vel circulatio plane supprimitur in parte obstructa.

Causæ sunt nimia vasorum contractilitas, rigiditas, degeneratio membranarum eorum, inanitio, compressio ab interna vel externa causa; aut liquidum transmittendum viscosius, grumosum, inflammatorium, atrabilarium, gypseum, calculosum, purulentum.

Vasa quoque majora patiuntur similes morbos a compressione, degeneratione sua-

rum tunicarum, sanguine concreto, polypis sanguinis.

§. II. *De excrescentiis, & tumoribus.*

Excrescentias, tumoresque vocant morbos ex magnitudine au&ta; atque inter se differunt.

Excrescentiarum nomine designantur corpora, quæ modo ex cute, modo ex membranis internis, vel ex vulneribus, ulceribusque pullulant, atque ultra superficiem earundem partium plus minus prominent, & vel ipsis lata basi insident, vel ex iisdem dependent.

Sunt frequentissimæ, præsertim externæ; & ex internis frequentiores sunt in ventriculo, intestinis, magis adhuc in utero, vaginæque.

Verum quoniam inter se multum differunt, quibusdam propriis nominibus receptis indicantur; quorum non pauca a figura, substantia, colore, locoque, desumpta sunt. Itaque consuetissimæ sunt verrucæ, clavi, nævi materni, sarcoles seu sarcomata, polypi narium, Encanthides, fungi, condylomata, fici, cristæ, &c.

Tumor vero est omnis protuberantia præternaturalis cujuscumque partis solidæ corporis.
Primo

Primo sunt tumores inflammatorii; qui calorem urentem cum dolore punctorio & tensione habent. Abunde patet, obstructa vascula humoribus solito magis impleri: præ nimia distractione propinquare rupturæ, sicque dolorem pungentem facere: per ea, quæ adhuc meabilia sunt transpirari liquidum difficilius & velocius; hinc attritum nimium & calorem urentem sequi. Inde fluit inflammationis contracta definitio; quæ dicitur obstructio cum attritu majore inter solida, fluidaque; vel liquidi arteriosi in minoribus canalibus stagnantis pressio & attritus a motu reliquorum humorum. Quum ab igne, ut ab attritus effectu, denominetur inflammatio, an simplicius diceretur *obstructio fervorem gignens*.

Febris, seu motus humorum velocior est in parte inflammata, licet non semper sit in toto corpore. Nec hoc circulationis legibus repugnat. Arteriæ quidem totius corporis simultanee dilatantur, & simultanee contrahuntur, sed in loco inflammato rapidior est cursus liquidi sub singulis arteriarum dilationibus & contractionibus. Utique resistentia major in parte obstructa, & ipse imminutus numerus vasorum perviorum, sunt causæ efficientes, ut liquidum a tergo veniens vehementius urgeatur per vascula pervia, & eadem magis irriter. Quin & eadem motus velocitas major ab acri emplastro applicato manifestatur; ut & irritamento, quod oculis admodum prolicet lacrymas.

Verum

Verum inflammatio superficialis, parum tumens, expansa potius quam profunda, ac plus minus rubens, vocatur Erysipelas; est tamen interdum erysipelas phlegmonodes. Altera profundior in ipsa parte, etsi rubra est, etiam tumidior, durior, rubicundior, ob majorem obstructionem & vehementiorem impulsum humorum pulsans, appellatur Phlegmone, vel simpliciter inflammatio; nec raro est phlegmone erysipelatodes: sedem tum in vasculis membranæ cellulosæ, tum ut plurimum in ejus cellulis, potissime habet: estque primi, secundi, tertii generis; unde major minorve rubedo, major minorve tumor: terminatur in resolutionem, suppurationem, gangrænam, scirrhum: in pulmone peripneumonia, in ventriculo gastritis, &c. nominatur. Hujus generis sunt, furunculus, panaricium, fernio crithe, parulis, paraphimosis, nisi cito levetur, carbunculus, seu anthrax, plures eruptiones cutaneæ.

Alii tumores diversis nominibus notantur oedema tumor hydropicus, emphysema; aneurisma verum, & spurium, varix, hæmorrhoides, ranula, contusio; scirrhus, cancer, callus, scrophula, struma, bubo, parotis; anchilops, atheroma, steatoma, meliceris ganglion, chalazion, talpa seu lupia; in ossibus autem nodus tophus, exostosis, hyperostosis.

Causa horum omnium morborum, qui ponunt excessum magnitudinis, est obstructio vasculorum humorem retinens; aut in iis alia de causa stagnans humor, aut abundantius in eadem allatus, aut effusus; cacochymia. Illi, qui sunt canalium majorum, pro causa agnoscunt impeditum sanguinis reditum versus cor, plethoram, tunicarum debilitationem, exesione n, v.nerationem.

§. 12. *Morbi ex defectu magnitudinis.*

Istis contrarius est morbus ex defectu magnitudinis: qui tunc adest quando requisita magnitudo ad agendum minuitur. Primarius est tabes: ea morbosus & diuturnus corporis marcor est. Dividitur in atrophiam tum universalem, tum particularem, in tabem dorsalem, marasnum, phthisim, & sæpe cachexiam. In cunctis est defectus nutritionis. Hujus causa est vasculorum nimia rigiditas, compressio, obstructio, aut aliud obstaculum, quod debitum humorum influxum in eadem vascula præpedit; excessus quietis, aut exercitii; debilitas, aut exulceratio visceris alicujus lædens ingestorum assimilationem, vel cacochymiam generans; ingestorum nimia, aut æquo parciore copia, aut qualitas mala; purulenta, saniosave materies inquinans sanguinem; ceneangia diu persistans.

Nec raro magnitudinem minuunt ulcera, vulnera, contracturæ: quæ mox suis locis subjicientur.

§. 13. *Morbi, qui hærent in situ nexuque malo partium organicarum.*

Morbi consistentes in situ nexuque, id est, in compositione mala partium organicarum inter se, præcipue competunt in articulationes mobiles & in partes abdominis.

Primæ speciei sunt ligamentorum necentium nimia accurtatio, rigiditas, elongatio, laxitas, disruptio; musculorum tendinumque ex debitis locis exilitio; figura ossium in juncturis læsa; materiæ in articulis requisitæ absentia, peccans præsentia, depravatio; distortio, subluxatio, luxatio.

Ad secundam speciem pertinent herniæ, prolapsusque. Herniæ sunt tumores præternaturales circa, aut infra abdomen, qui continent partem aliquam ex eodem cavo egressam. A loco dicuntur umbilicales; tum ventrales, quæ locum abdominis alium quemcunque occupant; inguinales, scrotales, femorales. In iis est omnium frequentissime intestinum tenue, & omentum, vel utrumque, aut colon, rarius uterus, aut vesica urinaria; & cum illis interdum aqua, sanguis, aer, &c. sunt liberæ, aut cum aliis partibus concretæ, aut incarceratæ; recentes, aut invetera-

teratæ; paulatim, aut subito natæ; magnæ, aut parvæ, &c. in juvene, adulto. Spuriæ, quæ veris sat similes sunt, & iisdem locis nascuntur, non patent in cavum abdominis, inde nihil recipiunt, sed sanguinem, aquam, acrem, pinguedinem, excrescentias carnosas continent.

Prolapsus est morbus intestini recti, vaginæ, uteri, etiam oculi. Inversio uteri.

§. 14. *Solutio continui in partibus mollibus, ejusque differentia.*

Unitatis seu continui solutio est vera partium cohærentium separatio. In partibus simplicissimis hoc suum nomen retinet: in partibus mollibus organicis vocatur vulnus, contusio, ulcus. Est quidem vulnus quæcumque divisio partium mollium per vim mechanicam facta: sed usu receptum est, ut solutio continui partis mollis, recens, a corpore duro, acuto vulnus nominetur, ut sic distinguatur a contusione, quæ congeriem vasorum & fibrarum a corpore obtuso contritorum indicat; cujus momentum in expositione vulnerum patebit. Attamen cum instrumentum obtusum, ut glans plumbea, aliave similis causa, penetrat, habet hæc læsio conditiones vulneris, & vulnus vocandum est, licet majorem contusionem habeat quam cetera vulnera; pauca enim sunt sine omni contusione. In contusionibus est ipsa cutis, aut membrana partis contusæ integra, vel est simul contrita.

Ulcus

Ulcus autem est solutio continui partis mollis, non recens, ex suppuratione, erosione, corruptione. Est magnum, parvum; mundum, immundum; recens, inveteratum, callosum, fistulosum; dolens, indolens; siccum, humidum, fluens, fætens; non malignum, malignum, cancrosum, serpens. Hæc adjuncta, si cum regione parteque affecta, & laborantis natura comparantur, ulceris sanationem facilem, aut difficilem præmonstrant.

§. 15. *Diversa vulneris nomina.*

Adhæc, vulnus ipsum a causa lædente, ejusque motu, & directione diverse nominatur. Illud est scissura, quod cæsum infligitur: punctura, quod cuspidè, ac punctim incutitur: fissura, quod ferme cunei instar in tongum ducto instrumento fit: ruptura, quod cadit in partes oblongas, aut teretes in longitudinem distentas, ac dissilièntes; tum in receptacula membranacea, similesve sinus a contentis nimis replentibus, aut nimium resistentibus distractos: dilaceratio, quod alia fere quavis divulsione violenta contingit.

Eadem porro consistunt in exterioribus corporis partibus, aut in ejus cava penetrant, & tunc ibidem simul aliquid, aut nihil offensum est. Ut causæ qualitas, motus, directio, sic & ejus longior applicatio magnum in vulneribus discrimen parit. Multa sunt infecta veneno.

§. 16. *Non lethalia, levia, gravia per accidens lethalia.*

Quæ vulnera suâ naturâ non efficiunt constantiæ vitæ, eadem suâ naturâ lethalia non sunt: in illis existunt partibus, quæ vulneratæ nec demunt, nec minuunt causas vitæ. Levia sunt tam parva, ut in se spectata neque magnum, neque longum incommodum facere queant; vel partem, v. g. cutaneam, occupant, quæ facile citoque sanari solet, nullis magnis symptomatibus ortis, nulloque notabili vitio remanente. Sed gravia censenda sunt ea vulnera tendinum, musculorum, nervorum, ligamentorum, oculorum, &c.; quæ gravia symptomata creant, nempe dolores acres, convulsiones, magnas inflammationes, tandem nimias suppurationes, gangrænam, ulcera, fistulas; vel partis atrophiam, immobilitatem; vel in visu, auditu, aliove simili organo permanens impedimentum. Ergo vitæ sunt interdum perniciofa propter dolorum & convulsionum atrocitatem, inflammationisque magnitudinem; aut quia nimia suppuratio, ulcera, gangræna tabo sanguinem inficiunt. Verum hæc symptomata non in omnibus eodem modo vulneratis apparent, non necessario sequuntur ex natura vulneris, & quandoque solius naturæ beneficio præsens vitæ periculum removetur: ideoque cum ejusmodi gravia, vel etiam levia vulnera mortem inducunt, *per accidens* lethalia dicuntur, quia lethalitas eorum est tribuenda casui, hoc est,

causis

causis fortuitis, quales sunt morbus alius aut jam præfens, aut superveniens, vulnerati debilitas, vel alia ejus morbosa natura; error, quem commisit ipse vulneratus, vel qui curat, vel alius; aut aliquid quod superaccidit. Etenim quo vulnus, quod mortem infert, lethale *per accidens* sit, sufficit quod in se, & quoad munus partis læ læ consideratum, lethale non fuerit.

§. 17. *Vulnera lethalia proprie dicta.*

Lethalia sunt omnia vulnera, quæ indubitate sua natura cito, vel tarde perimunt. Hæc ergo delent in organis aptitudinem ad exercitium muneris, quod requiritur ut vita vel supersit, vel perisset; aut corrumpunt, profunduntve liquidum huic scopo necessarium; aut aliquid in quemdam corporis locum effundunt, quod sua mole, vel degeneratione fit exitiale vitæ.

§. 18. *Vulnera per se lethalia.*

Ex his vulneribus lethalibus sunt *per se* lethalia, quæ sibi relicta certo vitam adimunt; arte vero curari possunt. Talia sunt plurima, non modo valorum quæ sua sponte hæmorrhagiam non sistunt, sed etiam tuborum, fistularum, viscerum; qualia in toto fere corpore, in cranio, facie, collo, thorace, circa thoracem, abdomine, artubus: quæ non ope naturæ sanantur, sed arte, scilicet ad-

strictione , compressione , ligatura , futura ,
 ustione , amputatione , trepanatione , paracen-
 tesi , medicamentis internis , regimine. Cu-
 ratione ex artis legibus instituta , si mortem
 afferant , tunc quoque per accidens lethalia
 facta videntur dici debere ; hoc enim contin-
 git per eas causas , quæ non lethalia mutant
 in lethalia :

§. 19. *Absolute lethalia.*

Sunt absolute lethalia , quæ nec arte ,
 nec ope naturæ curari possunt : applicari ,
 vel juvare remedia nequeunt. Duæ hæ cau-
 sæ semper requiruntur : primo , ut tollatur
 aut nimium minuatur actio , sine qua vel esse ,
 vel perdurare vita non potest ; secundo , ut
 medela sit impossibilis. Nam si cito , vel tar-
 de mors interviniat ideo quod non præsto fu-
 erit auxiliator , vel auxilium neglectum sit ,
 talia vulnera absolute lethalia dicenda non
 sunt. In partibus vitalibus ipsis existunt , vel
 in non vitalibus quidem , sed quarum officium
 tamen necessarium est ut vita persistat. Ac
 tunc partes ipsas solidas tanquam instrumen-
 ta consideratas reddunt ineptas ; vel eas li-
 quido necessario privant. Interdum effundunt
 liquidum in talia loca , unde non potest edu-
 ci ; ideoque multiplici ratione mortiferum
 evadit , etsi deinde nihil effundatur. Sunt
 sequentia.

Vulnera cerebelli profunda, & cerebri penetrantia in medullam oblongatam. Effusio sanguinis in ventriculis cerebri, aut in crani fundo. Vehemens cerebri, cerebellive concussus.

Vulnera & aliæ læsiones medullæ spinalis, ut & sanguinis effusio intra thecam vertebrarum; quæ delent effectus ab eadem medulla pendentes. Rapiunt hæc vitam eo tardius, quo locum inferiorem occupant. *Duos tamen aliquot annis post talem læsionem in regione lumbari factam adhuc viventes Hildanus vidit: sed aliquantum emendata erant symptomata.*

Vulnera arteriarum carotidum magna; tum vertebraliū. Integra abscissio tracheæ cum ejus in pectus subductione. Integra abscissio œsophagi: vix tamen solus sic discindi potest. Dissectio nervorum cardiacorum ad originem suam expari vago, vel in progressu suo deorsum: sed non illico mors sequitur, quia nec omnes simul discinduntur nervi, qui veniunt ad cor.

Vulnera cavum utrumque thoracis penetrantia, & tam patula, ut plus aeris in eadem cava quam glottis in pulmones, admittant. Vulnera bronchiorum aerem in cavum thoracis dimittentia; diaphragmatis, quæ visceribus abdominis ingressum in idem cavum thoracis concedunt; valorum intercostalium

in eorum parte posteriore; vasorum brachialium in eorum parte superiore, tum & axillarium; vasorum magnorum pulmonis, & magnorum cordis, ejusque nervorum dissectio; ventriculorum cordis multum penetrantia in ipsorum cava; auricularum cordis, sinuumque; venæ cavæ, venæ azygos, arteriæ aortæ, ductus thoracici, nervi magni intercostalis.

Vulnera denique magnorum vasorum, quæ sunt in abdomine, hepaticorum, splenicorum, gastricorum, emulgentium, mesentericorum, majorum omentalium quandoque, majorum lacteorum; cisternæ lumbaris, vesiculæ felleæ, nervorum mesentericorum, venæ portarum, ejusque ramorum; eorundem magnorum vasorum in hepate, liene, ventriculo, pancreate, rene; venæ cavæ, arteriæ aortæ, vasorum iliacorum, majorum vesicæ urinariæ in ipsius ima parte, cruralium in eorum parte suprema; ventriculi magna, quæ consui non possunt. Dissectio intestini tenuis tam alto loco, ut non fiat sufficiens chyli resorptio ad sustinendam vitam; hinc in ejus tractu superiore fere usque ad finem jejuni saltem.

§. 20. *Relationes de vulneribus ad judicem.*

Auctoritate publica homines percussi, vel eorum cadavera lustrantur, ut de vulneris natura renunciatur. Relationes oportet accu-

ratas, sine fuco, sine fallacia esse. Complecti debent partem & ejus locum vulneratum, vulneris figuram, directionem, amplitudinem, profunditatem, & quid quid in eodem, vel alibi tam externe quam interne reperitur præternaturale, quod mutare rei tam gravis faciem videri potest. Ante mortem sæpe judicium differendum est, præsertim de vulneribus partium internarum, & quando non constat quid, aut utrum nihil interne læsum sit. Post mortem maxima cura disquirendum est, num ex vulnere mors necessario sequi debuerit: Pusillanimitas, terror, ira, apoplexia, morbosa corporis debilitas, consumptio, præexistens sanguinis defectus, & res multæ similes vulneratum perimere possunt, aut efficere ut ex vulnere moriatur, cum alius ex eodem non moreretur.

§. 21. *Morbi denique communes ossium.*

Communes autem ossium morbi sunt fractura, fissura, contusio, vulnus, ulcus, exfoliatio.

Fractura dicitur ossis divisio in magna fragmenta, quæ vi mechanica, non tamen instrumento acuto producitur. Levi causa fit cum ossium substantia per morbos est labefactata. Est vel transversa, vel obliqua. In ossibus longis obliqua majoribus symptomatibus complicari, difficiliusque curari solet, quam transversa. Fissura est similis, sed longitudinalis,

224
 /
 ion totius ossis divisio: hæc rarius
 , Contusio est quoque violenta of-
 fectio, sed in multa parva fragmenta.
 vulnus in scissuram, & puncturam;
 , in Cariem & spinam ventosam. Ossis
 in squammas resolutio vocatur exfoliatio: est
 sæpe felix naturæ mortuum separantis effec-
 tus.

Symptomata fracturas comitantia prove-
 niunt a ruptis periosteis, compressione me-
 dularum, festucis; frequenter etiam a com-
 pressionem aut læsione nervorum, vasorum,
 musculorum, tendinum, ligamentorum. Cre-
 bro tandem sequuntur læsa partis figura, rigi-
 ditas, paralyfis, ulcus, caries, spina vento-
 sa; eo magis si corpus cacochymicum sit; aut
 si fracturæ spongiosum os, vel ossis extre-
 mitatem occupent.

HUMORUM MORBI.

§. 22. *Dotes fluidorum universales & sin-
 gulares.*

Dotes fluidorum universales sunt ea par-
 tium parvitas, quæ sensum fugiat; tam par-
 vus nixus in contactum mutuum, ut mini-
 ma vi sensibili superetur; & ea superficierum
 Lubricitas, ut se invicem vix implicent.

Præterea fluidum quodvis, ut aqua, spiritus vini, mercurius, metallum fufum, habet singulares dotes, quæ patent ex contemplatione gravitatis specificæ; figuræ guttarum & globulorum; Volatilitatis; mutabilitatis per calorem, frigus, quietem &c.

At multo magis operæ pretium est advertere singulares humorum corporis humani: sanguinis, feri, lymphæ, liquidi mucosi, bilis, urinæ, quoad saporem, odorem, densitatem, dilatabilitatem, crassitiam; tum quoad mutationes iisdem ex quiete, motu majore, frigore, igneque accidentes.

Eædem ipsæ dein humorum dotes in diversis hominibus differunt gradu; & eorum species discrepant inter se proportione; & omnium simul sumtorum copia variat. Ab his conditionibus a statu sano recedentibus, & ab admistis alienis corporibus oriuntur morbi humorum in se spectatorum; qui ad copiam, vel qualitatem læsam commode revocantur.

§. 23. *Plethora, ejusque causæ.*

Ea sanguinis abundantia quæ lædit functiones, vocatur plethora. Oritur ex ingestorum multum nutrientium largiore copia, bona chylosi, peculiari dispositione virium hæmatopoieticarum, seu temperie sanguinea, pariori dispendio humorum, artuum truncatione;

ne; quibus effectus aeris humidi, & ætatis mediæ adjungendi sunt. Describunt tamen, quod sit ad vasa, vel ad vires.

§. 24. *Inopia sanguinis & ejus causæ.*

Adest inopia sanguinis, quando non satis vasa replentur, ut suas functiones exercent. Est interdum innatum corporis vitium; sed multo sæpius est effectus incongrui, vel deficientis alimenti, malæ concoctionis, evacuationum, & morborum.

§. 25. *Cacochymia, ejus differentia; acrimonia origo; mala inde sequentia.*

Cacochymia nominatur ea humorum qualitas, quæ lædit functiones. Intelliguntur tunc humores peccare densitate, teracitate, spissitudine, fluiditate; vel acrimoniam habere, acidam, muriaticam, alcalinam, oleosam, spirituosam, aromaticam, saponaceam, aut peculiarem aliam, quod considerari potest vel in omnibus humoribus simul, vel in aliquo singulari.

Acrimonia multa est ex cibis, potulentis, & medicamentis; quæ jam actu sunt acria, vel in corpore nostro talia fiunt. Verum & propria humorum nostrorum olea, saliaque vim acrem exerunt creberrime.

In varia hac cacochymia nititur conceptus proclivitas humorum ad quietem & concretionem; inertiae, aut nimiae efficaciae in vasa; obstructionis diversi generis; perturbationis omnium functionum; destructionis; evacuationis vel nimiae, vel insolitae; debilitatis.

§. 26. *Humores sani tum in propriis vasis, tum errore loci quoque morbos faciunt.*

Humores, quamvis sani sint, efficiunt in majoribus vasis aneurismata cra, varicesque, & in visceribus aggestiones valde noxias. Si transeant e propriis vasis in vascula minoris diametri, quod *error loci* dicitur, & in illis stagnet, gignunt sugillationem, obstructionem, tumorem; atque frigore subito calorem excipiente, persaepe rheumatismos, & varios morbos arthriticos.

§. 27. *Morbi ab humoribus in aliquam partem effusis; & illis, qui in vasis, vel extra illa diutius haerent.*

Ab ipsis humoribus effusis, & aliquo corporis loco collectis, nascuntur oppressiones partium vicinarum, aneurismata spuria, pustulae, vesicae, ecchymoses, aliique tumores cum sanguinei, tum aedematosi, & omne hydropis genus. Dum iidem in vasis, vel extra vasa diutius stagnant, tandem corrumpuntur, ac ulcera, abscessus, fistulas, can-

crum

crum, gangrænam, sphacelum emphysemata generant.

§. 28. *Distinctio morborum ex quibusdam accidentibus petita.*

Patet autem, has memoratorum morborum differentias & ex ipsa eorum Natura petitas, & adeo fecundas esse morbis aliis producendis, ut etiam inter causas morborum recenseri mereantur. Sed præterea medici distinguunt morbos ex quibusdam accidentibus, imprimis ex causa, subjecto, tempore, effectu, quæ quamplurimis diversissimis communia sunt. Ergo.

Ratione causæ est *idiopathicus*, si causa & morbus eandem sedem habeant: *sympathicus*, dum locum alium causa, atque alium morbus habet: *protopathicus*, hoc est, primarius, non ex alio natus: *deuteropathicus*, ex alio natus: *hæreditarius*, a labe genitili: *connatus*, ab alia causa fætui accidente in utero: *acquisitus*, omnis, qui hominem natum invadit: *epidemicus*, & *endemicus*.

Ratione subjecti sunt morbi *puerorum*, a meconio, acido, irritabilitate, dentitione; tum morbilli, scarlatina, variolæ: *juvenum*, ut hæmorrhagiæ variæ, hæmoptœ, phthisis: *adultorum*, quales sunt plethora, apoplexia atrabilis, melancholia, obesitas gravans: *senum*, ut siccitas, rigiditas, cutis ariditas,
flu-

fluxus e naribus, oculis, tuffis, aſthma, frigus, ſenſuum imminutio: *virginum*, a menſtruis maxime: *gravidarum*, a mutatione nervis uteri impreſſa, retentis menſtruis, uteri mole, nutritione fætus: *parturientium*, ſic hæmorrhagia, abortus, partus difficilis, impoſſibilis, & ex his oriunda Mala in vulva, vagina, utero, abdomine, & alibi; item ex lochiis præmature ſubſiſtentibus, vel nimis diu perſiſtentibus; prolapſus: *nutricum*, quales ſunt excoriatio papillarum, inflammatio mammarum, ſcirrhus, tabes.

Ratione temporis; acutiſſimi intra quatuor dies terminandi; peracuti intra ſeptem, acuti intra viginti dies circiter; acuti ex decidentia, qui non interrupti longius excurrunt, (iſta morbi acutiſſimi, & peracuti diſtinctio magis ad intelligenda veterum ſcripta, quam ad artis exercitium valet;) chronici reliqui omnes; dein verni, vel autumnales; continui non remittentes, vel remittentes; intermittentes.

Ratione effectuum; ſalubres, benigni, maligni, ſanabiles, inſanabiles, lethales, contagioſi.

Denique neceſſe eſt attendere tempora morbi; ejus initium, incrementum, ſtatum, decrementum, & finem.

ÆTIOLOGICA.

§. 29. *Causa morbi, interna, externa.*

Causa morbi vocatur quid quid morbum facit. Est jam physica; vel sic mutat corpus, ut brevi talis fiat. Interna dicitur quæ quodammodo ante morbum in corpore præexistit, sive in humoribus, aut in vasis, sive alibi hæreat: externa, quæ extra corpus existens, eidem applicatur. Interna prius fluidas partes, deinde solidas lædit; exceptâ illâ, quæ ex tumore, excrescentia, calculo, aut alia vi mechanica est. Externa prius solidas, quam fluidas partes afficit: dicuntur tamen exhalationes paucæ venenatæ, & contagia prius lædere humores: sed hæc intro recipiuntur, non statim creant morbum; verius ad internas quam ad externas causas pertinent.

§. 30. *Causa prædisponens, & procatartica, simul presentes, sunt causa morbi proxima.*

Causa, quæ morbum facit, non est simplex, sed composita semper ex prædisponente, & ex excitante. Corpus enim aptitudinem habere debet ad suscipiendum morbum; & hæc aptitudo, quæ constanter in præsentem corporis temperie vel naturali, vel morbosa latet, & quemque ad certos morbos disponit, vocatur prædispositio, causa prædisponens, remota,

ra, proegumena seu antecedens: quæ morbum non creat quamdiu sola manet: dispositio ad plethoram sola non gignit plethoram. Omnes aliæ causæ possibiles, quæ cum prædisponente concurrunt ad excitandum morbum, velut lauta mensa cum dispositione ad plethoram, constituunt causam illam, quæ dicitur excitans, procatarctica, evidens, manifesta: neque sola morbum producit. Ergo requiritur simul utriusque causæ præsentia, & hæc causa morbi proxima est, quæ totum præsentem morbum directe facit, & continuat, distincta tamen sic ab ipso morbo, ut causa ab effectu.

Morbi vero, qui fiunt ex causa proprie mechanica, non indigent causis prædisponentibus. Atque etiam causæ prædisponentes ad certum morbum, qui semel tantum hominis vitam infestare solet, tolerato eodem morbo destructæ sunt.

§. 31. *Causæ procatarcticae summam attentionem merentur.*

Prædispositio, si naturalis est, raro tollitur; etsi præsens tollatur, necesse est exsurgat alia. Tanto diligentius igitur in ipsas causas excitantes incumbendum est, quia debellari, vitæque possunt.

§. 32. *Ubi procatarcticae reperiuntur.*

Omnes causæ procatarcticae reperiuntur in rebus non naturalibus ita dictis, quia usu, vel

vel abusu naturales, aut contranaturales fiunt. In sex classes digeruntur, quæ sunt aer; cibus, potus; motus, quies; animi affectus; retenta, excreta; somnus, vigilia.

Verum methodo boerhaaviana commodissimæ, atque memoriæ juvandæ aptissime reduci possunt eadem ad quatuor classes iis indagandis apprime utiles: ad ingesta, gesta, retenta & excreta, applicata externa. Pertinent ad *ingesta* aer, cibus, potus, medicamina, venenum, quocunque modo corpore suscipiantur: ad *gesta* motus corporis totius, vel partis, affectus animi, quies, somnus, vigilia; ad *retenta vel excreta* quidquid de corpore excernitur quacunque via, vel in eo retinetur, sive salubre, sive recrementum, sive morbosum sit: ad *applicata externa corpori* aer, vapor, fomentum, balneum, linimentum, unguentum, emplastrum, causa vulnerans, contundens, erodens, vestis. Quemadmodum autem cuncta hæc causæ morborum evadant, & quos morbos singula producant, una jam sequente serie perspicere licet.

§. 33. *Aer æstuans, idem simul ficcus, aut humidus.*

Aer æstuans laxat ac debilitat omnes partes molles corporis, illas maxime quas aluit; nimium dilatat universam humorum massam; provocat largum sudorem: inde sequun-

quuntur inflatio rubedoque partium externa-
rum, congestiones in visceribus, anxietas,
palpitatio cordis, suffocatio, perturbatio
sensuum, apoplexia, hæmorrhagiæ, hæmor-
rhoides, aut tandem spissitudo humorum &
obstructiones.

Si simul nimis siccus sit, tanto peior est:
nam perspirationis, sudorisque materiem to-
tam imbibit, sicut nihil resorbeatur; itaque
sanguis subtilioribus & diluentibus partibus
orbatus contrahit spissitudinem tenacissimam:
quorum effectus sunt acrimonia humorum;
læsio secretionum omnium; inopia liquidi re-
quisiti in vasis serosis, lymphaticis, & aliis
minoribus; habitus corporis pallidus, vel
flavus; sitis cum oris siccitate; urina parca,
spissa, acris, rubra; alvus dura, rara; ob-
structiones; morbi inflammatorii; bilis atra,
melancholia, icterus, diarrhæa biliosa; fe-
bres intermittentes pertinaces; frequenter
arthritis, rheumatismus.

Aer æstuans nimis humidus, dum trans-
pirationem inhibet, ipseque humidum auget
in corpore, rarefactis alioquin humoribus,
& elementorum solidorum nexibus debilitatis,
citissime morbos ipso effectu putridos generat.

§. 34. *Aer gelidus, simul humidus; cum magno, vel sine motu corporis.*
Regelatio.

Aer gelidus fibras corporis omni modo contrahit, & vasa maxime coarctat; humores spissat, demum coagulat. Illa duplex induta corpori mutatio causa est multorum malorum, quæ tamen pro temperie subjecti differunt. Solet quidem impedi perspiratio, oriri coryza, gravedo, angina, catarrhus, tussis, anhelitus: sed in subjectis, quæ habent sanguinem densiorem, facile gravedo, angina, catarrhus, induunt characterem inflammatorium; quibus utique peripneumonia, pleuritis, rheumatismus, annumerari debent. In frigidioribus ac humidioribus potius omnes isti morbi sunt ex colluvie serosa, sine multa, vel sine ulla febre; eademque colluvies frequentius diarrhæas, febres intermittentes, hydropem parit.

Etianum eo major est causa morborum eorundem, quo humidior est aer frigidus; eoque frequentior apoplexia, scorbutusque.

Si vehemens accedat corporis motus, nec acuti morbi excitentur, fit summa humorum attenuatio, diaphoresis profusa, debilitas ad animi deliquium & mortem usque.

Deficiente necessario corporis motu, dum frigus urget, proximum est, ut solida, humores-

moresque disponantur ad quietem; atque percepto prius frigoris sensui succedat pulsus languor, corporis torpor, articulorum immobilitas, sensuum stupor, somnus placidus, qui terminatur in mortem.

Partes gelu constrictæ, cum subito recalescunt, sphacelo destruuntur. Nonnullæ etiam, quæ naturaliter minus calent, sub intenso frigore, quamvis corpus exerceatur, gangræna quandoque corripuntur.

§. 35. *Aer nimis levis, nimis gravis.*

Aer nimis levis fere facit idem quod æstuans, quatenus humores nimium expandi, vasa ultra modum dilatari, errorem loci fieri, & totum corpus intumescere sinit. Nec sufficit dilatandis pulmonibus. Nimis vero gravis, si purus est, vix reperitur: hæmoptoici, phthisici, & alii pectore debiles nunquam tam belle habent, quam cum altissime mercurius in barometro ascendit.

§. 36. *Per quas res aer tam varie mutetur, per quas inficiatur veneno.*

Afferunt venti supra dictas aeris qualitates calidas, frigidas, siccas, humidas. Nimis sicci mire corporis superficiem siccant: & si ex adverso flent, nimio pulmones obruunt aere. Afferunt & jam infectum aerem ex locis valde remotis. Quid cetera meteora,
quid

quid anni tempestates ad acrem mutandum possint, sat notum est. Ille præterea, qui bonus est, inquinatur effluviis malæ indolis admixtione; quorum ingentem copiam dimittunt flumina sæpe, mare multis locis, lacus, stagna, paludes, carbones, & litanthracæ accensi, fodinæ non paucæ, mineralia fusæ vel soluta permulta, ars coriaria tinctoriaque, confectio saponis & candelarum sebacearum, forum carnarium & piscarium, nosocomia ægris referta, carceres nimis pleni, cadavera mortuorum, & aliæ similes causæ quamplurimæ. Ut idem aer minus renovatur, sic in eodem magis abundant effluvia: quod ob defectum ventorum accidit; vel quia sylvis densioribus, altioribusve montibus arcentur venti; vel quia retentus est locus undique clausis, sicut sunt multi carceres, fodinæ, putei diu obstructi, &c. Quanto magis hujusmodi heterogeneis onustus est, tanto plus de sua elasticitate perdit. Aer igitur multiplici modo fit venenatus; sic etiam morbos epidemicos, endemicosque ferit.

§. 37. *Ingesti cibi, potusque nimia copia.*

Cibi, potusque peccant copia, vel qualitate. Nimia copia ventriculum distendit ultra tonum; ejus ora nimis interdum claudit; compressis inter membranas vasis, minuit calorem naturalem, & succi gastrici secretionem: hinc contentorum cruditas, vel dege-

ne-

neratio; impedita expulsio; cardialgia, ructus, nausea, vomitus, diarrhæa.

Præterea nimium repleti ventriculi moles comprimit partes vicinas, & distributioni humorum ex aorta in easdem obstat; dilatationi thoracis & pulmonis obest quoque: unde anxietas, dyspnœa, confusio, vertigo, apoplexia.

Nimia copia tantum ratione virium digestentium considerata, perinde ac prior, causa est doloris ventriculi, læsæ digestionis, malæ nutritionis, & cachexiæ.

§. 38. *Nimis parca eorundem copia ingesta.*

Quando minore copia, quam par est, ingeruntur cibi, potusque, massa humorum non satis renovata, quæ tamen assiduas vires corporis immutantes experitur, pronior in putredinem fit; atque ideo tandem halitum oris, & omnes excretiones reddit foetidiores, morbosque putridos creat. Eadem, quia pergunt excretiones, imminuitur; liquidis diluentibus, demulcentibus, ac nutrientibus orbatur; acrimoniam tunc evolvit rodentem, quæ nisi prius alia copiosa extiterit, alcalina esse solet; parit ingentem sitim, intolerabilem famem, quæ dein evanescit; ventriculi morsum, quandoque nauseam, vomitumque, præsertim biliosum, diarrhæam, maciem, convulsiones, debilitatem, animi deliquium,
mor-

mortem. Si sit integra inedia, brevi mors sequitur. Morbi ex inanitione curatu difficiliore sunt, quam ex nimia repletionem.

§. 39. *Mala qualitates alimentorum. Acrimonia muriatica.*

Vitia præcipua, quæ hærent in qualitate mala alimentorum, revocantur ad acrimoniam, viscositatem, aut oleositatem.

Acrimonia muriatica lædit nutritionem, solida detemit, vascula minima contrahit; sicque facit corporis macrorem, debilitatem, sitim, & præ siccitate raucedinem.

Debilitatis solidorum actionibus, humores crudi, spissique fiunt, stagnant in vasis minoribus, in tendinibus, ligamentis, præcipue per quietem; hinc manant dolores rodentes, artuum motus difficiles & dolorifici, corporis pigritia, majorque post longiorem quietem lassitudo, quam ante. Hoc jam est initium scorbuti, qui postea majoribus symptomatibus sensim manifestatur, gingivarum inflammatione, earum exulceratione, dentium vacillatione, maculis cutaneis, ulceribus, doloribus majoribus, artuum rigiditate, aut eorum tumore duro, putredine, hæmorrhagiis, morte.

§. 40. *Acrimonia acida spontanea; fermentata.*

Acrimonia acida spontanea, quæ reperitur in quibusdam alimentis, est simplex, aut acerbata simul. Prior magis penetrat in vascula minima: posterior magis incrassat, & potentius obstruit. Appetitum ciborum irritat utraque, sed cito depravat digestionem, & nutritionem; facit ructus acidos, nonnunquam ardorem in ventriculo, cardialgiam, dolores colicos, aliosque lancinantes; omnes actiones debilitat; gignit frigus, pallorem, scabiem, rachitidem, spinam ventosam.

Acida fermentata, ut acetorum, facit fere eadem mala. Sed fermentata, ut in vinis, usu nimio producit rigiditatem, & arthritidem.

§. 41. *Acrimonia aromatica, & spirituosæ.*

Acrimonia aromatica cibi & potus abusu nimium stimulat ventriculum, nec raro facit cardialgiam; dein actionem omnium vasorum concitat violenter: subsequitur ardor, sitis cum siccitate urente, febris acuta. Usu continuo maciem, siccitatem, rigiditatem, contracturam inducit.

Acrimonia spirituosæ, quæ fermentatione paratur, ut vinorum, cerevisiarum diu servatarum, & omnium liquorum ex spiritu vini

ni constantium, profert eadem omnino mala ac prior. Utraque etiam maxime fertilis morborum arthriticorum causa est.

Spirituosa vero inebriat, & multo magis cogit humores; contrahit & indurat viscera; obtundit irritabilitatem, & nervorum sensum; prosternit demum sic actionem omnium vasorum ac musculorum, ut aquosus humor effluat facile: ex his patet ratio deleti appetitus, cacochymix, flatulentix, infirmix mentis, & hydropis cujuscumque. Verum & vasa sic constituta molem humorum ante expansorum, ac postea subsidentium, non urgent in cerebrum & musculos: ergo languent, ac manibus genibusque tremunt bibuli, donec circulationem simili potu rursus incitent,

§. 42. *Acrimonia musti fermentantis.*

Ille spiritus, gas sylvestre etiam nominatus, qui ex musto, pyracco, pomaceove extra, vel intra nos fermentantibus excluditur, acidæ naturæ quidem est, sed penetrantissimus, & nervis inimicissimus, Interne præsens inflat quamplurimum primas vias; movet spasmos, ventriculi dolores colicos, vomitum, diarrhæam; dylenteriam, choleram. Externe, dum copiosior corpus alluit, cada-veroso pallore faciem foëdat; frangit vires omnes corporis, & sine sensu hominem necat.

§. 43. *Cibi viscosi.*

Viscositas autem nimia ciborum ex farinosis non fermentatis, aut ex gelatinosis animalium partibus, tum ex casco lento, aut presso nimie coagulo lactis, gignit pondus in stomacho, flatus, ructus, acorem, cruditates, vasculorum tenuiorum in intestinis obstructions; hinc intestinorum inertiam, abdominis infarcti tumorem, duritiem; tum deinde ipsi sanguini infert viscositatem malam, hinc obstructions glandularum, pallorem, inertiam, frigus, tumores. Sed & patet, quod & frigida dicta potentiâ similia faciant; tum etiam quod præ cæteris noceant quiescentibus.

§. 44. *Nimia oleositas.*

Mala vis ingestorum, in quibus oleum abundat supra modum, inde petenda est, quod illud nimis lubricet & laxet, miscelam cum liquoribus aquosis respuat, virtutem saponaceam humorum in corpore præsentium destruat, ipsumque rancidum fiat. Interea deletur appetitus sæpe cum horrore, infirmatur digestio, urgent ructus nidorosi, acresque, vomitus, diarrhæa urens, tenesmus; canales secretorii oleo repleti arcent reliquos humores ab ingressu, turbantur secretiones; oleum retentum diutius corrumpitur, magis obstruit, inflammat, febrem accendit cum immani siti,

§. 45. *Nimius muscularis motus.*

Vehementior motus muscularis sanguinem velocius movet, & magis rarefacit, vim vas inferit, ac ita hæmorrhagiarum & apoplexiæ causam præbet. Si hæc mala non eveniant, idem vero vel simile protrahatur, constanterque repetatur exercitium, necessario multum atteruntur vascula, dissipantur fluidiores humores, consumuntur carnes, pinguedo, medulla, spissescunt reliqua fluida, oriuntur morbi vel inflammatorii, vel atrabilia, siccitas, contractio. Ac vero maxime similis causa terrere debet eos, qui herniis, ulceribus, phthisi, vel ex humorum acrimonia laborant.

§. 46. *Vigilia nimia.*

Vigilia nimia brevi totum corpus debilitat, exhaurit, siccatur, & inquietudine perpetua vexatur; ac alios morbis acutis, alios ex atrabile chronicis implicat; tristitiam invehit, & imaginationem depravat. Atqui horum est evidens causa. Per vigiliam plus æquo productam deficit alterna requies organis absolute necessaria; & partes illæ, quæ naturaliter nunquam quiescunt, magis intenduntur ac deturuntur, quam per somnum; abundantius effugiunt fluidiora; non potest sufficiente nutritione corpus refici, nec in eo conveniens copia subtilissimorum ac optimorum liquorum assevari: reliqua humorum massa fit acris, & cir-

culationi minus apta, cerebrum & viscera abdominis maxime patiuntur.

§. 47. *Quies nimia musculorum, nimius somnus.*

Prioribus plane contrarii sunt effectus nimiae quietis in toto corpore, vel in aliqua singulari parte. Etenim sub ea partes solidæ laxantur, flaccescunt, & quasi dissolvuntur; circulatio languet, maxime in vasculis minoribus; humores manent frigidi, crudi, rudes & spissescunt; parum excernitur. Omnia tamen excessui quietis, temperamento, & alimentis respondent. Ita fit, ut alius utcumque diu, alius minime id ferat: rursusque alius pinguedine repleatur, alius vero hydropticus fiat, & magis anaesthesia laboret. Ex his otii quoque, vitæque sedentariæ effectus cognoscuntur, atque etiam somni, in quo quidem eadem fiunt, sed excernenda magis adhuc retinentur, & major proclivitas in apoplexiam nascitur. Hic nocet iis maxime, qui sunt in eum proniores,

§. 48. *Affectus animi.*

Animi affectus violenti, aut diu permanentes, ut terror, ira, vindictæ cupiditas, invidia, zelotypia, desiderium impotens, amor, lætitia, metus, tristitia, curæ aliæ mordaces quam plurimæ, mutant, figunt, depravant actiones cerebri, nervorum, muscu-

iculorum mirabiliter & efficacissime; unde quoscunque fere morbos valent producere, pro sua diversitate, & duratione. Eorum causæ quædam sunt accidentes, & satis notæ: aliæ innatæ, quæ voluntatem eo pertrahunt, quo vergunt, quibus tamen prudentiæ & constantiæ ope resisti potest: aliæ voluntariæ, quas excitamus ipsi, & quæ circa munera, obsequia, res necessarias versantur, mentemque vehementer incessunt aliquando, vel etiam a sensibus alienant.

§. 49. *Excretiones aquosæ nimix.*

Excretiones nimix, quæ fiunt titulo salivationis, sudoris, urinæ, diarrhææ serosæ, fluoris albi, & ex ulceribus, subducunt vehiculum sanguinis, liquidum vasculis serosis, lymphaticisque necessarium, succum nutritivum; ac efficiunt, ut restitutio similium humorum sit impossibilis. Superveniunt, sitis, acrimonia, macies, bilis atra, interdum febris, vel inflammatio, efflorescentiæ cutanæ, siccitas ex concretione vasculorum, hæctica, atrophia, debilitas, mors.

§. 50. *Eorundem deficiens secretio in primas vias, vel ad superficiem cutis.*

Parciorem secretionem succi salivalis in ore, ventriculo, intestinis; vel & parcio-
rem excretionem materiæ perspirantis ex cute, comitatur in ore defectus saporis assumptorum,

rum, eorum impedita elaboratio prima, difficilis deglutio: in ventriculo & intestinis, læsa chymi chylique præparatio; alvus adstricta, præcipue si bilis pariter ibidem deficiat: in cute, vasculorum, fibrarum, nervulorum exsiccatio contractioque; illius retentio, quod evaporare deberet; turbata circulatio in cute & membrana cellulosa, unde multa mala pro diversitate subjecti oriuntur.

§. 51. *Urinæ suppressa secretio & excretio.*

Urina, tanquam sanguinis recrementum abundantissimum & lixiviosum, si non seceratur, nimium vasa minora replet, omnem humorum massam acrimonia sua inficit, deinde dissolvit, vel effusa colligitur in aliquo corporis loco. Hinc corporis inquietudo, pectoris anxietas, somnolentia, somnia terrificæ, subsultus tendinum, convulsiones, vertigo, apoplexia, febris putrida, hydrops. Secreta, sed in vesica, vel in ureteribus retenta, corrumpitur, partes illas ad summum cum ingente dolore tensivo distendit, accedente dein inflammatione, & gangræna.

§. 52. *Nimia sanguinis evacuatio.*

Nulla evacuatio tam cito vires omnes corporis & animæ dejicit, quam subita & magna sanguinis profusio: demitur ea virtus, qua humores efficaciter in cerebrum & musculos

culos urgentur: hinc animi deliquium & corpus frigidum, citissime hydropicū.

§. 53. *Si sanguis evacuari solitus retineatur.*

Cruor autem per hæmorrhoidalia vasa, aut naturalia mulierum, vel per alia minus consueta loca, dudum jam, & periodice evacuari solitus, interceptus nunc, pervertit circulationem, facit aggestiones in capite, oculis, visceribus, dolores, inflammationes, febrem, mentis perturbationes, convulsiones, epilepsiam, vel insuetas & valde mirabiles alibi hæmorrhagias.

§. 54. *Nimia feminis excretio.*

Nimiam feminis excretionem excipit corporis enervatio, macies, pallor; dolor vagus, in capite tamen & artubus inferioribus fere perpetuus; tabes dorsalis; impotentia; sensuum, maxime visus hebetudo; subsultus tendinum, convulsio varia &c.

§. 55. *Alvi obstructio.*

Retentis, constanterque auctis fecibus alvinis, tumet & tenditur venter. Intestina nimium distenduntur, ac dolent; & in eorum membranis circulatio difficilior fit, aut etiam intercipitur. Materies corrupta resorbetur. Anxietas est, sæpe vertigo, capitis dolor,

dolor, obstructio in vasis hæmorrhoidalibus. Fit inflammatio, ileus. Omnia sunt eo peiora, quo scybala sunt sicciora, vel magis corrupta.

§. 56. *Applicata externa.*

Quæ externe corpori applicantur, sunt vapores, fomenta, cataplasmata, balnea, linimenta, unguenta, emplastra, pulveres, spiritus, hirudines, variaque similia; deinde vis mechanica multiplex.

Agunt tanquam calida, frigida, sicca, humida, vel imbibentia, sicut ante de diversio aere dictum est. Sed proprias alias atque alias vires habent, quibus emolliunt, diluunt, solvunt, leniunt, irritant, inflammant, corrodunt, comprimunt, obstruunt, constringunt, corrugant.

Cæteræ causæ simpliciter machanicæ, ut vestimenta, compressio, ictus, lapis, vel alia instrumenta, producant supra memorata mala, contusiones, luxationes, hernias, ulcera, vulnera, fracturas; & infantibus ante, ac post nativitatem frequentissime sunt exitiales.

§. 57. *Venena ingesta, vel externe applicata.*

Venena, miasma pestiferum, aliaque contagia, periinde ingeruntur, & externe corpori

ri applicantur; & solidis æque parum ac fluidis parcunt. Quædam agunt celerrime, quæ cerebrum, nervos, vel pulmones sic adoriuntur, ut actiones cerebri protinus turbent, vel sistant; aut convulsiones, & similia citissime faciunt; vel respirationem repente supprimant. Alia lentiora, quæ sanguinem inspissant, inflammant, dissolvunt; & ea quæ vasa constringunt, obstruunt, irritant, resolvunt. Multa solidas simul & fluidas aggrediuntur partes. Etsi cuncta mechanice videantur agere debere, tamen eorum maxima pars suos effectus producit modo, ex mechanicis non explicabili, sed prorsus incomprehensibili.

ANIMADVERSIIO.

Sunt & interne quædam corporis diatheses adeo generales, ut plurimi morbi ab iis, ut causis, pendeant: unde in enumeratione causarum generali proponi, explicarique solent. Sunt inprimis plethora, cacochymia, heterogenea interna: quæ majore parte jam inter fluidorum morbos nominata, & explicata fuere.

§. 58. Plethora.

Vasa majora nimium distendit plethora, comprimit minora; facit ingentem calorem, summas in visceribus congestiones, hæmorrhagias, apoplexiam; vel inducit inertiam, delirium, & suffocat motum humorum.

§. 59. *Cocochymia. Humorū motus æquo major, vel minor.*

Consideratur hic cocochymia, ut morborum causa, quatenus incitat, vel tardat motum humorum; tum quatenus consistit in fluiditate, vel tenacitate, nimia; & demum quatenus pituitosa est primarum viarum, biliosa, atrabilaria, calculosa.

Effectus talis cocochymiaë, quæ motum humorum incitat, vel tardat, intelliguntur ex iis, quæ superius de musculorum motu vel nimio vel nimis parvo, tum de acrimoniis diversis, atque nimia quiete, somnoque, proposita sunt.

Sed & laceffitum systema nervosum omnia sæpe perturbat in corpore; & morborum fere genus omne excitat, vel exacerbat. Immeni motus musculares, furor, convulsio, tumens pallor, animi deliquium, mors repentina, sunt tristia exempla de nervis, animi affectu concussis, vel etiam tantum ab interna materiali causa male affectis.

§. 60. *Fluiditas, v. tenacitas, nimia.*

Præsente nimia fluiditate, vasa majora nimium deplentur, & vis. perit ab eorum efficacia pendens; humores sine discrimine transeunt in vasa minora, quod secretiones perturbat; & vel fiunt evacuationes tantæ,

ut

ut omnes corporis vires cum summa ejusdem extenuatione, citius lentiusve exhauriantur; vel humores effusi faciunt hydropem, aut stagnantes obstruunt, tumores inflammatorios, œdematososve creant. Omnia pejora sunt si humores acres & valde moti sint.

Excedente vero tenacitate, non possunt ex cruore tenuiores humorum species separari, ut rite secretiones procedant; ac fieri non potest, quin obstructions, dolores, tumores, oriantur, præsertim in glandulis, aliisque plexibus arteriosis, visceribus, cerebri membranis. Si juncta pariter est acrimonia, tunc mala fiunt, quæ ad finem § 27. indicata sunt.

§. 61. *Pituita in primis viis.*

Frequenter aggeritur in primis viis ingens copia pituitæ tenacissimæ, insipidæ, vel acidæ, salsæve, quæ refert aliquando vitrum fulum, & tunc vitrea nominatur. Quam ob rem nausea, vel vomitus vexat; læditur appetitus, digestio, intestinorum actio, & abdomen inflatur; percipitur ibidem pondus, & frigoris sensus; tormina cruciant si valde acris est, infantibus etiam fiunt convulsiones.

§. 62. *Bilis corrupta.*

Potest quidem ipsa bilis vario modo, sicut alii humores, degenerare, sed maxime

notabilis est flava, vitellina, porracea, eruginosa, isatodes, quæ solo motu, convulsione, animi affectu, sæpe nascitur, causa vix explicata hactenus. Producit multos morbos, nauseam, vomitum, cibi horrorem, cardialgiam, singultum, anxietates, dolores iliacos, colicos, flatus, borborygmos, diarrhæam, dysenteriam, morbos acutos, convulsiones.

§. 63. *Sanguis atrabiliaris; morbus hypochondriacus; atrabilis; eadem turgens.*

Sanguis vocatur atrabiliaris, humor atrabiliaris, vel succus melancholicus, quando multo nigrior est quam in homine sano esse solet, & tam crassus, tenaxque, ut difficulter & lente circumeat: vasa tum serosa, tum lymphatica fere vacua manent; macies est, habitus corporis flavior, aut magis fuscus, nigerve. Generatur imprimis vi temperamenti talis; tum omnibus causis, quæ humorum elaborationem impediunt, eos liquido diluenti privant, vel per se tales exhibent, aut quasi coagulant: quales sunt, vita sedentaria, tristitia, irrequietæ curæ, evacuationes tenuiorum liquidorum quacunque via, alimenta succi tenacis, acerbive, adstringentia.

Idem, aucta deinde spissitudine, facile hæret in vasis minoribus ubique, sed maxime tamen congeritur in hypochondriis, ceterisque visceribus abdominis, & glandulis: hoc

mor-

morbushypochondriacus nominatur : qui creat sensum repletionis, tensionis, insoliti ponderis, anxietatis; flatus, ructus, quia digestio læditur, vel ingesta degenerant suam naturam sequentia; sæpe icterum, alvum durum, hæmorrhoides; paulatim mœstítiam, & solitudinis amorem, nec raro jam melancholiam, aut maniam vel sympathicam, vel idiopathicam.

At ille sanguis interim diuturnam moram agens in visceribus, in iisdem multo magis spiffescit; & ex eo quod fluidius est, semper effugit, quod crassius est, remanet, augeturque constanter; & acres particulæ fere nudæ usagi aggeruntur: sic nascitur in iisdem locis crassamen vere nigrum, & piceæ tenacitatis, *bilis atræ* nomine proprie donatum, in cadaveribus, & per dejectiones sat demonstratum: auget priora mala, creat nova, præcipue dolorem majorem, urentem, & rodentem.

Atrabilis vero turgens dicitur, quando cum augemento symptomatum perpetuo, mobilis facta est. Mobilis autem redditur, quia ipsa sua sponte dissolvitur: vel quia vasa debilitata cedunt: vel quia febre, motu musculari, ingestis acribus, nimium agitur, urgeturque; & tunc facile rumpit sua vasa. Multo magis excitat dolores, melancholiam, maniam, epilepsiam, aliosque cerebri morbos, quam non turgens. Cum in circulum redit

copiosa, pessimæ oriuntur febres* putridæ: si retineatur in visceribus, poterit omnia macerare, corrodere, & in tabum gangrænosum convertere, nascente similiter incurabili tympanite: erumpens in ventriculum, & intestina, facit vomitum, & dysenteriam plerumque lethalem.

§. 64. *Diathefis calculosa; calculi.*

Principia calculi, nempe terra, oleum, sal, aer, spiritus, sunt quidem in massa humorum cujusque hominis, sed non eadem copia in omnibus, neque æque facile secedunt. Igitur ille diathesin calculosam habere dicitur, in quo hæc principia plus abundant, faciliusque secedunt ut concrecant: quod ex urinæ quiescentis contemplatione, & arenulis excretis advertitur optime. Nascens calculus habet semper corpusculum solidum; aliquid terræ siccatae, arenulam, grumum sanguinis, vel aliquid simile, cui dicta principia tanquam nucleo accrescunt, & augentur per orbis sibi multuo incumbentes. Propterea calculi reperti sunt fere in omni parte corporis. Frequentissimi sunt in viis biliariis, & urinariis; multumque biliarii differunt ab urinariis. Nocent volumine, figura, pondere, scabritie: nam sic dolore afficiunt, opprimunt, partem distrahunt, inflammant, excoriant, callosam reddunt: in viis biliariis officiant bilis secretioni, vel excretioni; sæpeque faciunt icterum perpetuum, vel periodicum: in viis uri-

nariis similiter urinæ secretioni, vel ejusdem excretioni obsunt multiplici ratione.

§. 65. *Vermes.*

Varii vermes reperti sunt vix non in omni parte corporis. Consuetissimi sunt teretes, ascarides, tæniæ; & habitare solent in primis viis, teretes & tæniæ in intestinis tenuibus, & ventriculo, ascarides in intestinis crassis, præcipue in recto. Extra corpus animale non reperiuntur; nec scitur ex quibus animalibus sint. Eos, vel eorum ovula cum cibis, potulentisque ingeri non quidem demonstratum, sed omnino veri simile est. Ipsorum conservationi, vel exclusioni commoda sunt debilitas ventriculi, & intestinorum, pituita, humores ibidem blandiores; sed & singularem forte naturam habent, ut vi viscerum non destruantur. Qui his infestantur sæpissime sunt infantes, rarius utique qui solo lacte materno nutriuntur, sed ceteri: adulti minus: debiles magis, quam robusti: pauperes etiam crebrius, quam divites. Morfu, reptatuque irritant; & qui sunt in intestinis tenuibus & ventriculo, consumunt humorem gastricum, entericum, & chylum. Hinc dolores intestinorum, nausea, vomitus, fames cardialgia, borborygmi, spasmi, tumor abdominis, convulsiones, epilepsia, cachexia, macies, debilitas, animi deliquium, pruritus narium & ani, tenesmus. Teretes aliquando perforant intestina, vel eorum

quasdam tunicas, inter quas ipsi se condunt. Multi homines, qui nunquam symptomata senserunt a vermibus, habent & exceniunt vermes.

• §. 66. *Fluxio, collectio.*

Materia morbi in parte subito collecta, fluxio, lente congesta, collectio appellatur. Pro causa agnoscit inertiam partis solidæ non subigentis, nec expellentis id quod formari incipit; aut præsentis jam alibi materiæ peccantis in partem quæ nunc obsidetur, derivationem. Fit motu, calore, dolore, fotu.

SYMPTOMATOLOGIA.

§. 67. *Quid symptoma.*

Symptoma vocatur omnis læsio functionum corporis, quæ nascitur ex morbo, ejusve causa, vel quæ ex his jam læsis functionibus tanquam secundaria sequitur. Patet utique & illud penitus ab ipso morbo, ejusque causa proxima distinctum, & triplex esse, scilicet symptoma morbi, symptoma causæ, symptoma symptomatis. Quid quid præterea morbo superaccidit, quod non a morbo, vel ejus causa pendet, symptoma non est, quamvis morbum augeat sæpe, sed dicitur superaccidens, superveniens aut epigenema, epigenomenon.

§. 68. *Symptomata an sint morbi. Ad quas classes revocentur.*

Quum symptomata sint functionum læsiones, quæ & creberrime solæ ut morbi existunt, & etiam in morbo, cujus symptomata sunt, sæpius medelam peculiarem postulant, possunt eadem ut totidem morbi distincti haberi. Revocantur autem ad actiones læsas, retentorum & excretorum vitia, atque qualitates corporis mutatas. Horum recensio, adjecta causa, nunc incumbendum.

§. 69. *Appetitus cibi imminutus.*

Occurrit primo appetitus cibi imminutus, deletus, abhorrens fastidium cibi: id est, dysorexia, anorexia, apositia. Causæ horum symptomatum plerumqueprehenduntur ventriculi debilitas, insensibilitas, pituita viscida, compressio; inertia succi gastrici, pancreatici, bilisque; profundæ meditationes, tristitia, quies nimia. Tamen fastidium abhorrens multo frequentius est effectus corporum fætentium, tum putrescentium, & humorum in putredinem degenerantium.

§. 70. *Appetitus nimius, depravatus.*

Multi homines, alii ex sua natura, alii ex longa consuetudine, sunt manducones; quibus est ventriculus amplior, robustior,

actuosior: hoc nec morbus est, nec symptoma; nam sani manent,

Appetitus ex causa morbosa auctus pendet ab acris humoribus, pyloro magis patulo, vermibus, & causis aliis similibus; quæ ventriculum nimium irritant, aut nimis celementer exinanunt. Tam magnus ut ingentem cibi copiam desideret, vocatur bulimia, vel fames bovina, caninave.

Appetitus autem depravatus, quem alias malaciam, Kiffam, picam appellarunt, est qui res absurdas, ut cretam, calcem, carbones, expetit. Aliquando vix superabilis est. Ejus causæ sunt diversæ humorum acrimoniæ, vel imaginatio depravata.

§. 71. *Sitis.*

Sitis est interdum magna, interdum pene inexplebilis. Oritur ex nimia siccitate oris, & faucium, vel ab acrimonia. • Siccitatem efficit contractio vasculorum exhalantium, spissitudo humorum, vel eorum debilior motus, minorve copia. Acrimonia est ex sale medio, vel alcalino, aromate, oleo corrupto, liquoribus acris spirituosus, venenis multis, maxime veneno rabiosorum animalium.

Sæpius est integra sitis causa præsens sine sitis sensu.

§. 72. *Manducatio, & deglutitio læsa.*

Manducatio læditur vitio oris, linguæ, dentium maxillarum, salivæ, musculorum.

De glutitio læditur quoque vitio oris, linguæ, palati penduli, tonsillarum, uvulæ, laryngis, pharyngis, œsophagi; quod accidit per vulnera, inflammationem, dolorem, tumorem, spasmum, paralyfin, siccitatem, chondrogeniam, luxationem partium laryngis, aut vertebrarum colli, absentiam mucii.

Accidit, ut aliquid fluidi, sed nihil solidi; vel aliquid solidi, sed nihil fluidi deglutiri possit. Prior casus evenit præ dolore, siccitate, angustatione, faucium, vel œsophagi: posterior, quando est obstaculum, quod solidis, non autem fluidis superari potest.

§. 73. *Digestio læsa.*

Ingesta plane non mutantur in ventriculo, vel imperfecte coquantur, vel nimis tarde, vel degenerant. Vocatur cruditas, quando coctio, sive digestio nulla fit: imperfecta digestio, quæ fit ex parte tantum: tarda, quæ nimis longum tempus requirit, ut perficiatur: depravata, quæ sinit ingesta degenerare. Atque horum primum veteres appellarunt a-pepsiam, secundum dyspepsiam, tertium bradyspepsiam, & ultimum diaphthoram. Causæ sunt eadem ac appetitus imminuti §. 69.; deinde

salivæ defectus in ore, neglecta masticatio, difficilior ingestorum natura. Celerior digestio, si morbosæ est, habet easdem causas, quas appetitus nimius.

§. 74. *Singultus.*

Singultus est invita, violenta, subita aeris in pulmones attractio cum sonitu brevissimo. Fit vi irritati œsophagi, ventriculi, maxime diaphragmatis deorsum momentaneæ & fortiter contracti. Irritant, celeris deglutitio copiosi ingerendi, præsertim nimis frigidi, vel fervidi, vel acris; copia ingesti, acrimonia ventriculo inhærens, venena acria; inflammatio œsophagi, ventriculi, diaphragmatis; evacuationes nimix, vomitus nimis exercitatus.

§. 75. *Nausea, vomitus & ructus.*

Nausea dicitur irritus vomendi conatus; seu molesta sensatio in faucibus, œsophago, & ventriculo, provocans ad vomitionem. Vomitus est violenta rejectio contentorum ventriculi per œsophagum. Fiunt motu retrogrado œsophagi, ventriculi, etiam sæpius intestinorum, tum diaphragmatis, & muscutorum abdominalium: qui levior nauseam, vehementior vomitum facit. Levis tamen nausea est sine manifesta diaphragmatis, & muscutorum abdominalium affectione. Qui sæpe vomere consueverunt, tandem debilitata cardia, sine tam magno molimine vomunt.

Excitantes causæ quam plurimæ sunt; ex quibus sequentes, ut frequentiores, numerari possunt. Emetica medicamenta, irritatio gulæ, copia nimia, avidæque ingesta, vel ejus mala natura; venena; pituita aggesta, vel materies corrupta; vermes; obstructio pylori, aut fistulæ intestinalis; tumores & ex-
 crescentiæ ventriculi; icterus periodicus, herniæ, motus hysterici; agitationes insuetæ in rheda, navique; conspectus rerum quæ pro naufragis habentur, aut idea talium, quæ nau-
 scam olim excitarunt vel vomitum; magnæ læsiones & inflammationes cerebri, inflamma-
 tiones æsophagi, ventriculi, diaphragmatis, sæpeque intestinorum, lienis, hepatis, renum.

Vomitui sat affinis est compressi aeris explosio sursum ex ventriculo: quæ, si cum impetu fiat, ructus; si molliter & sine strepitu, vapor e ventriculo remissus nuncupatur. Nam contractione ventriculi, æsophagique sursum versus similiter absolvitur. Eum excitant, cruditas, putredo, acor, fructus horæi, mustum, liquores fermentantes, venena, spasmi, acrimonia major. Sed stomacho debiles, & sedentarios præ ceteris vexat.

§. 76. Cholera.

Vomitum cum diarrhæa conjunctum vocatur cholera. Ipsæque evacuationes modo simultanee sursum & deorsum contingunt, modo alternant: sæpius rariusve repetunt; &
 ex-

excreti diversi copia major, vel minor est. Inter vomitus causas occurrunt & hujus causæ plurimæ. Præcipue tamen sunt medicamenta utroque modo purgantia, liquores fermentantes, ingurgitatio fructuum horæorum, cælum diu perstans fervidum.

§. 77. *Lienteria, & affectio cæliaca.* ●

Expulsio cita per alvum alimentorum, quæ ventriculo ingesta, semicrudorum, aut plane non mutatorum, lienteria est. Si vero chylus ipse cum fœcibus alvinis ejicitur, est affectio cæliaca. Prior oritur a debilitate ventriculi, nimia pylori apertura, vel nimis vehementemente præli abdominis actione: posterior a nimio motu peristaltico intestinorum, vel ab obstructione valorum lacteorum.

§. 78. *Diarrhæa, dysenteria, tenesmus.*

Diarrhæa est frequens, & copiosa per alvum ejectio excrementorum liquidorum. Comitata dolore notabili dysenteria nominatur. Sed dysenterix nomen non requirit, ut excretio semper sit copiosa. Primaria causa est copia liquidi præsentis hoc loco cum nimium prædominante motu peristaltico (laxitas aut flacciditas intestinorum potius alvum retinet). Copia materiæ liquidæ in intestinali tubo præsentis est ex cibis potulentisque ingestis; ex humoribus circumeuntibus, qui undique in eum venire possunt, præsertim aquosi, vel dissoluti.

ti. Huic rei favent excretionēs aliæ immi-
nutæ, laxitas vasorum in intestinis, & irrita-
tio, quæ majorem affluxum facit. Irritatio-
nem & affluxum efficiunt acria corpora non
adstringentia multa: purgantia medicamenta;
venena quædam; corrupti cibi, vel crudi, so-
lidi non digesti; bilis acrior, vel corrupta;
exsudatio, vel affluxus acris materie unde-
cumque. Augent etiam intestinorum irritabi-
litate inflammationes eorundem, ulcera, tu-
mores distendentes, absentia mucii requisiti,
excoriationes.

Frequens autem & sæpe perpetuus, ac
penè irritus alvi deponendæ conatus, cum ani
pruritu & plerumque ardore, tenesmus nomi-
natur. Urget deorsum motus intestini spas-
modicus: hunc excitant ascarides, acrimonia,
defectus mucii, intestini excoꝛiatio, inflamma-
tio, & in partibus vicinis aliæ hærentes causæ.

§. 79. *Alvi segnities, ejusdem obstructio,
ileus.*

Alvum tardant, & supprimunt numerosæ
causæ, quarum primariæ sunt largiores aliæ ex-
cretiones aquosæ; nimia corporis quies; ali-
menta naturæ tenacioris, vel siccioris, vel ad-
stringentis; bilis absentia, inertiae; intestino-
rum inertia; vel crassorum imminuta quibus-
dam locis capacitas; aut motus antiperistalti-
cus nimius.

Ileus autem, chordapsus miserere, dicitur vomitus cum pertinaci alvi obstructione: seu potius intolerabilis intestinorum dolor, cum eorum obstinatissima obstructione, cui serius, acutus vomitus supervenire solet. Fit illa rejectio non tantum ex ventriculo, & intestinis tenuibus, sed etiam interdum ex intestinis crassis. Intestinum obstruunt ejus contractiones spasmodicæ, feces duræ accumulatae, corpora heterogenea, herniæ, angustationes chronicæ admodum frequentes in intestinis crassis & sæpe callosæ, tumores, excrescentiæ, inflammationes, raro intestinorum implicationes, rarius adhuc volvulus. Fortassis & aliquando solus motus antiperistalticus vehementior potest omnia sursum repellere.

§. 80. *Bilis secretio, vel excretio vitata.*

Impedita bilis secretio vel excretio frequentissimum est hepatis, vesiculæ felleæ, ductuum biliariorum vitium, quod & gypseas, calculosasque concreciones facile generat, & ipsum ab iis jam præexistentibus, tum ab inflammationibus, indurationibus & spasms producit. Inde nascitur cacochymia biliosa, icterus; læditur appetitus, digestio, chyli confectio; fit alvus albida, dura, adstricta; sequitur tympanites, hydrops.

§. 81. *Ischuria, dysuria, stranguria, tenesmus.*

Ischuria est integra urinæ retentio. Sed dicitur ischuria spuria, quando urina non discernitur; vel in pelvi renum, ureteribusve subsistit: ischuria vera, quando præterens est in vesica, & excerni non potest. Sic quoque dysuria nominatur urinæ excretio cum molestia, conatu, dolore, & sæpe ardore: stranguria excretio cum iisdem incommodis, sed stillatim tantum. Omnium causæ sunt, Plethora, humorum spissitudo tenacitasque, aquosorum effusio extra vasa, aut eorum per alias vias evacuatio, graviditas; vel harum viarum spasmi, inflammationes, tumores, ulcera, excoriationes, calculi, grumi sanguinis, acrior urina, defectus mucii, sensus nimius vesicæ, urethræque, congestiones in collo vesicæ, angustationes & excrescentiæ urethræ, vis cantharidum, liquores fermentantes.

Eadem causæ, illæ scilicet quæ vesicam, parum, vel nihil continentem, nimis irritabilem reddunt, aut nimium irritant, vel in ea spasmos constanter repetentes excitant, faciunt vesicæ tenesmum similem illi, qui §. 78. descriptus est.

§. 82. *Urinæ incontinentia.*

Censetur urinæ incontinentia quando sine voluntatis, respirationisve nixu, sponte effluit.

Oritur ut plurimum a resolutis, dilatatis, discissis, suppurando consumtis, gangræna putrefactis fibris sphincteris vesicæ. Profuit autem certis tantum intervalis, & satis abundanter: vel distillat perpetuo; quod urinæ stillidium appellatur. Huc non pertinet ille involuntarius urinæ fluxus, qui per somnium, aut gravem somnum infantibus, & quandoque majoribus contingit.

§. 83. *Diabetes, Sudor.*

Diabetes est urinæ modo aquosæ, modo chylosæ, sive lacteæ nimis frequens, & copiosa trajectio: sic corpori nutrimentum, sanguini vehiculum, vasis minoribus humor tenuior subtrahitur. Causæ censentur, nimia laxitas in arteriolis urinosis, humores valde diluti, imperfecta laticis aquosi cum sanguine mistio, spasmi in aliis partibus, diuretica ingesta.

De sudore satis alibi jam dictum est. Ejus effectus sunt iidem ac aliarum excretionum aquosarum.

§. 84. *Actio vitalis læsa. Febris quid?*

Actio vitalis læsa spectat maxime cordis & arteriarum pulsum, atque respirationis exercitium. Peccant nimia celeritate, nimio robore, tarditate, debilitate, inconstantia.

Augta pulsus velocitas est effectus cordis se se frequentius contrahentis, sive debilitatem, sive robur nimium adjunctum habeat. Eadem, quando morbosa est, vocatur *febris*. Hoc febris vocabulum simpliciter pulsus naturali celeriores significat: absente majore celeritate pulsus, abest febris idea. Utile tamen est ad multas morborum species indigitandas.

Febris autem, ut morbus, non raro sola est, ubi nempe non dum sunt læsiones, nisi inseparabiles ab ipso humorum augto motu; vel comitatur alios morbos, a quibus non pendet; vel ab aliis morbis tanquam, eorum symptoma suscitatur. Et hoc quidem in curatione morborum maxime distingui debet.

Est causa febris major irritabilitas cordis, majorve irritatio, vel utraque simul. Oritur nimia irritabilitas a teneritudine, debilitate, tensioneque nervulorum & fibrarum muscularium cordis: irritatio, a difficiliore humorum motu per cordis substantiam, acri stimulante, ingestorum nimia copia, celeriore repletionem ventriculorum cordis, eorundemque difficiliore evacuatione. Repletionem vero accelerant humores pervenas magis moti, eorumque congestio circa cor, aut rarefactio, aut plethora, polypi minuens capacitatem ventriculorum cordis, hujus compressio. Et evacuationi sanguinis ex thalamis cordis obstant polypi inde in orificia cordis arteriosa produ-

ducti, horumque orificiorum induratio, nimia in aliis arteriis resistentia, pulmonis explicatio impedita.

§. 85. *Palpitatio cordis.*

Cordis palpitatio est ejus tam violentus motus, ut & intus ab homine, qui eo laborat, evidenter & cum anxietate sentiatur; & externe tactu, magis quam solet, advertatur; ac porro intuentibus per se sæpe manifestetur. Hæc ergo longe differt a cordis tremore, seu palpitatione, quæ fit ex debilitate.

Primaria causa mali hujus est vehementior irritatio cordis una cum resistentia majore cruoris ex ipsius cavis expellendi.

Irritamentum inhæret ipsi cordis substantiæ, ut ejus inflammatio, vel id est quod in cor impellitur, ut validior nimii sanguinis influxus, v.g. ab animi affectu, plethora, aggestione his locis quavis causa, vel acrimoniâ; aut in ventriculis est, ut polypus sanguinis capacitatem minuens, maxime vero sanguinis expellendi renixus.

Resistentia est a polypo sanguinis intra cordis orificia arteriosa hærente, aut eorundem orificiorum duritie; ab iis causis, quæ humores in pulmonibus, vel in aorta congerunt, quales sunt pulmonis obstructions, spasmi, rigiditas, suppressa respiratio, ipsi
hu-

humores pituitosi, inflammatorii, vel alibi magnæ multæque obstructiones arteriolarum. Aneurismata sinuum cordis, arteriæque pulmonalis, & aortæ, faciunt sæpe cordis palpitationem, & ipsa frequenter ab eadem nascuntur.

§. 86. *Pulsus intermittens.*

Intermittit subinde pulsus in brachio, quia motus alternus arteriæ impeditur. Sed id in hoc, vel in illo brachio tantum contingit, universale non est. Multo sæpius est vitium cordis, quod per intervalla fere, vel penitus interquiescit, aut oppressum spasmodiutius in contractione moratur: quod ultimum ægrotus in se ipso sentit manifeste. Ceterum cum id ex illo spasmoo non fit, certe causa est inertia cordis, vel inconstantia repletionis ejus, vel obstaculum, quod cordis depletionem per vices supprimit.

Ex inertia est si minus cruoris, quam oportet, in arterias coronarias impellitur, aut in illis aliquando subsistit; si humorum subtilium secretio pressioque in encephalum languet; si ipsa nervorum substantia ab animi pathemate, vel a materia singulari in humoribus præsentem male afficitur, velut eadem a complurimis notis corporibus tum externe, tum interne adhibitis actutum obtunditur, aut extinguitur plane: siquidem per hæc necesse est efficacia nervorum in fibras musculares

cor-

cordis intermittat quandoque, & cordis vis & irritabilitas minuat.

Defectum repletionis faciunt varia. Aneurismaticæ partes, sive sint sinus, ventriculive, sive arteria pulmonalis, aut aorta, quando se sic inaniverunt, ut consequens copia consueta sanguinis impulsu non sufficiat ad eas satis replendas; polypi sinuum sistentes sanguinis influxum in cava cordis, præsertim debiliorem; parcior copia sanguinis venosi, ejusque motus languidior, aut intercisus; spasmi pulmonum, ventriculi, intestinorum, & similium partium; cita depletio intestinorum, vel abdominis ante distenti; compressio venarum majorum, præcipue venæ cavæ; polypi venarum pulmonalium qui & simul cum per pulmones circulatio paululum citatur, summam anxietatem pariunt; summa pulmonum inflammatio, & varia in iisdem mala chronica.

Obstaculum autem, quod evacuationi cordis non infrequenter ad intermissionem obstitit, est polypus major cordis, propulsionem e thalamis intercludens; alterutrum vel utrumque cordis orificium arteriosum nimis renitens; polypus arteriæ pulmonalis aortæve, ac earundem arteriarum nimia rigiditas, cum cor minore vi contrahitur; pulmo rigidus, multum obstructus, spasmò contractus; humores crassi frigidi.

Verum

Verum tamen hominibus sanis non paucis intermissio pulsus quasi naturalis est.

§. 87. *Pulsus varii, qui vim vitalem vocil-
lare quoque declarant.*

Primum est pulsus inæqualis rhythmo, vel tempore. Pendet ab iisdem causis, a quibus intermittens, sed levius agentibus. Pulsus nimis lentus, vel rarus, vel debilis, est pariter effectus cordis se se lentius, vel rarius, vel debilius contrahentis. Paulatim decrescit, donec tandem cum vita deficiat.

§. 88. *Animi deliquium, ejusque gradus.*

Subita virium præsentium corporis & ani-
mi resolutio vocatur animi defectio, animi
deliquium; ac in lypothymiam, lypopsychi-
am, syncopen, asphyxiam dividitur; ita ut
lypothymia sit, ubi vires omnes subito mul-
tum debilitatæ corpus languide tantum adhuc
sustinent vel movent: lypopsychia, quando
jam est magna caloris naturalis, sensuumque
imminutio, & membra fatiscunt: syncope,
ubi sensus, motus, pulsus, respiratio, ca-
lor, fere delentur, frigidique sudores expri-
muntur: asphyxia, cum omnia illa quoad
sensum deleta mortis imaginem simulant.

Causæ plurimæ sunt eadem ac pulsus in-
termittentis §. 86., imprimis idea rei horri-
dæ, graviditas, animi affectus, spasmi, in-

anitiones quælibet, maxime sanguinis in vulneratis, parturientibus, abortientibus, cancriosis.

§. 89. *Respiratio læsa.*

Respirationis læsio, quia diversos gradus habet, vario nomine donatur. Dyspnœa vocatur respiratio molesta & fatigans; est levior gradus: asthma, respiratio frequentior, sæpe sibilosa, majore & difficiliore pectoris conatu, peragenda; quod humorale, spasmodicum, periodicum: orthopnœa, respiratio laboriosissima, sæpe stertens, solâ erecta cervice & thorace absolvenda: catarrhus suffocativus, respiratio subito ferme suppressa, cum urgentissimo suffocationis sensu: apnœa, respiratio cessans, saltem non apprens, hinc cito lethalis.

Causa est quod aeris ingressum per tracheam in pulmonem intercludit: ut laryngis, tracheæve tumor, vulnus magnum, compressio a tumore juxta tracheam, vel in œsophago, a spasms; aut collectio distillatiove cujusque materiei in bronchia. Quod in ipso pulmone præsens, ejus alternum motum prohibet: ut infarctus, inflammatio, tumor, ulcus, rigiditas, spasmus, lata concretio cum pleura. Quod cavitatem thoracis angustat, vel ipsius dilatationem impedit, ut congestus humor in eadem; dolor laterum, tumor, pleuritis; mala thoracis conformatio, immobili-

bilitas costarum, sterni, cartilaginis xiphoidæ; graviditas, hydrops, & alia multa abdominis mala. Vulnere thoracis tam magna, ut per ea plus aeris, quam per glattidem, admittatur.

§. 90. *Tussis varia.*

Multum tussis concutit tracheam, pectus, pulmones, abdomen, caput. Est aliquando tam vehemens, ut fere præfocet, & in catarrhum suffocativum degeneret; tunc convulsiva vocatur. Oritur ab irritatione vasorum pneumaticorum, vel pulmonum. Illud vero, quod irritat, in iisdem partibus generatur, aut in eas aliunde devehitur, ut acrimonia, siccitas, tensiones, vel corpora attracta, illapsive, aer frigidus, aut impurus; vel cruor per pulmones contractos, rigidos, compressos non libere tranat; vel aliud loco remoto, ut in abdomine, residet, quod respirationem gravat, inde tussis stomachica, hypochondriaca, hysterica, &c.

§. 91. *Sternutatio.*

Numerosæ sternutationis causæ, tam quæ latent in naribus, quam quæ ipsis applicantur, notæ sunt cuique. Est autem sternutatio symptoma quidem morborum quorundam narium, sed etiam sine his aliter movetur sæpe. Si multoties repetitur, vehementissime totum corpus, maxime caput, pulmones, ab-

domen exagitat; & in plethora, hæmoptoe, phthisi, ac ubicunque pacatus musculorum humorumque motus potius esse debet, summe periculosa est.

§. 92. *Læsio visus ex morbosa palpebrarum conditione.*

Visui palpebræ tribus modis nocere videntur: vel nimis multos, vel nimis paucos radios luminis in corneam admittunt, vel bulbum lædunt; idque diverso modo faciunt. Primo peccant laxitate, sic ut superior nimium ante bulbum extensa sit; quod Ptoſis est, quidam tamen phalangosin appellant. Nimis breves non satis bulbum contegunt, quod in superiore lagophthalmus seu oculus leporinus, in inferiore ectropium nominatur; idemque etiam fit cum earum margines introrsum revolvuntur. Conglutinantur aut plane concreſcunt inter ſe, vel cum oculi bulbo; & hoc ancyloblepharon est. Educunt in perversam directionem cilia plura pauciorave, sic ut ipſæ ſe mutuo, vel oculi bulbum pungant; id est phalangosis; quæ pariter contingit ex diſtrichiaſi, trichiaſique, tum ex tumore inflammatorio, ædematoſo, emphyſematoſo, vel marginum introrsum retractione. Aut limbo ſuo gerunt hydatidem, verrucam, crithen seu hardeolum; vel diverſo loco chaiazion seu grandinem, qua ipſæ tenduntur nimis, & bulbus comprimitur. Aut

xerophthalmia, id est arida lippitudine laborant, ideoque dolent, & difficulter moventur,

§. 93. *Læsio visus a causis, quæ sunt intra orbitas, palpebras, vel juxta eas.*

Causæ, quæ hærent intra orbitas, palpebrasve, & quæ visum lædunt graviter, sunt tumores ossium, aut inflammatorii, scirrhusi, cancrosi, membranasum bulbum excipientium, qui minuunt orbitæ capacitatem, mutantque figuram; consumptio pinguedinis in qua bulbus in situ debito, & sine periculo summe mobilis continetur, & custoditur; muscoli qui bulbum movent, omnes vel aliquot paralytici, convulsi, retracti, rigidi; sarcoma, encanthisque; tumor ex hernia seu hydrope sacci lacrymalis, vel ex anchilope, cægilope, fistula lacrymali, quæ ipsa incompleta, completa, complicata, maligna, &c.; lacrimæ puræ, aut pure mistæ, obstructo in nares transitu, oculum inundantes, ac per genas epiphoræ nomine destillantes: hæ causæ, si sint excrescentiæ, tumoresve, mutant bulbi figuram, vel minuunt ipsius magnitudinem, vel tum postrosum aut ad latus agunt, antrosumve protrudunt; vel partim aut integro radios arcent: si consumptio pinguedinis, labat vel profundius defidit bulbus: si muscoli, bulbus non movetur, vel producit, retrahitur, pervertitur: quibus impeditur utique radiorum illapsus in corneam, mutatur axis visus, & focus, hinc multiplici ratione patitur

patitur visus, sed maxime producitur rinop-
tia, strabismus, luscitas, aspectus trux. Ab
earundem partium ulcere carieque frequenter
etiam bulbus pessum datur.

§. 94. *Visum quoque lædunt morbi membra-
næ conjunctivæ oculi.*

Sunt & mala quædam propria membranæ
conjunctivæ; quæ creberrime visum invadunt.
Inflammatiō, quæ ophthalmia dicitur, si ve-
hemens est, ad corneam extenditur; tuncque
lucem oculus non fert, & usus corneæ tur-
batur vel deletur. Sarcoma, quod diversis
locis quidem, sed frequentius inter bulbum
& palpebras, maximeque ex ophthalmia na-
scitur, magis vel minus & corneæ nocere,
& radios impedire potest. Eodemque modo
nocet œdema. Plyctænæ, quæ sunt vesicu-
læ minutulæ, distentæ, multum aliquando
prurientes, vel urentes, cum corneæ infi-
dunt, radios eo loco suffocant, ac ulcuscula
cicatricesque relinquunt. Cicatrices autem,
quoquo modo fiant, radios arcent ab ingres-
su. Eidem denique membranæ¹ supercrescit
frequenter pellicula, quæ pariter ante corne-
am non raro porrigitur; hanc si rubra crassa-
que sit, pannum: si subtilis & non rubra,
pterygium & unguem appellant; tamen a fi-
gura magis quam a colore & crassitie nomen
unguis & pterygii tractum est; quæ figu-
ra cuique pelliculæ communis esse potest.

Hinc

Hinc ergo rursus luscitas, visus hebes, tenebrosus seu amblyopia, fallax, cæcitas &c.

§. 95. *Mutationes in bulbo contingentes vtsui perniciosæ.*

Primo cornea, si major est, in multa luce nimios colligit radios; offenditur retina; si minor, nimis paucos in debiliore luce radios accipit; retina non satis afficitur. Humore nimium abundans crassior & densior est; radios æquo citius cogit in focum: ex humoris inopia, sicut evenit ex inanitione, mollior, tenuior, minus densa, & plerumque minus pellucida est; radios debilitat, & focum differt. Quando humores turbidos accipit, aut ipsi humores in illa ex frigore, aut adstringentium applicatione opacantur, obscuratur tota, vel maculas contrahit, quæ pro gradu coloris mutati nebula, nubecula, albugo seu leucoma nominantur, aut collecto pure inter ejus tunicas, format unguem, aliis onychion dictum; etiam variis causis debilitata extenditur in tumorem varium, id est, in staphyloma, cujus species sunt perla, clavus, myocephalon, melon, & tunc vel extensa sola est, vel divisa partem uveæ recipit; quod si recepta sit uvea, ea subinde degenerat in excrescentiam, sæpe cancrasam, quæ a figura fungus, ficus appellatur: cuncta hæc radios debilitant, multos vel omnes suffocant; fallaxque, vel imperfecta pingitur imago objecti.

Humor aqueus turbidus, & pus retro corneam collectum, quod hypopium vocant, faciunt idem ac cornea turbida. At si humor aqueus parcius, aut nullus est, cornea complanatur: si paulo plus abundat, reddit corneam convexiorem: si plane modum excedit, facit oculum elephantinum seu hydrophthalmiam.

Obstructa, infarcta, inflammata tunica uvea choroideaque retinam agit, comprimit, visum, radiorumque colores turbat; nec oculus sustinet lucem, palpebræque manent clausæ. Suppurata tollit visum. Ejus pars anterior rigida facta demit pupillæ mobilitatem; vel affecta vario modo mutat pupillæ figuram & magnitudinem.

Lens crystallina major vel minor, densior vel mollior, convexior vel planior, obscurata plus minus in omni sua substantia vel in aliqua sui parte, vel in cataractam adhuc molliorem, aut maturam opacata, eodem modo, quo cornea similibus qualitatibus peccans, visui nocet. Etiam focum accelerat cum corneæ propior est; retardat cum ab eadem longius distat. In situ suo vacillat aliquando, corrumpitur quoque; aut ipsi prætensa est opaca membrana cataractam simulans.

Abundantia major corporis vitrei removee lentem antrorsum ab ipsa retina: ejusdem imminutio contrarium efficit; & si multum im-

mi-

minuatur, collabi rugarique retina debet. Venis per uveæ, choroideæque tunicæ inflammationem compressis augeri cito, retinamque nimium tendere videtur. Similiter opacatur, & frequentius contrahit subviridem colorem, quod glaucoma nominatur. Liquefactum aliquando, & contra quoque plane induratum repertum est.

Et ipsa retina perinde multis malis per se patet. Ejus enim valcula possunt obstrui, infarciri, magis moveri, nervulos tendere, agitare, comprimere; & pariter nervulorum sensus sæpe minuitur, vel deletur, causa in retina, nervo optico, cerebro hærente. Si nimia tensio fit, dolor est. Si sensus abolitio fit toti retinæ communis, tollitur visus: si quædam puncta occupet, ea non percipiunt impressionem objectorum. His diligenter consideratis, non difficulter intelligentur quæ de visu incommodo, vel læso dicenda supersunt.

§. 96. *Myopia, presbiopia, hemeralopia, nyctalopia.*

Myopes sunt ii, qui cominus; presbiopes, qui eminus vident acutius. Myopia est effectus convexioris densiorisque corneæ & lentis crystallinæ; quoniam istud accelerat focus. Presbiopia pendet a planiore minusque densa cornea & lente crystallina; sic constitutæ tardant focus.

Hemeralopes, quibus utcumque visus in clara luce commodus, in crepusculis fere nullus est: nyctalopes, quibus opportuniora sunt crepuscula, quam lux meridiana. Hemeralopiæ causa omne illud, quod radios nimis paucos, aut non satis vivide finit in retinam incidere; imminuta tunicarum & humorum oculi pelluciditas, maculæ in carnea, angustior pupilla, lens crystallina in aliqua sui parte plane opacata. Sed nyctaliopiam facit major amplitudo pelluciditasque corneæ ac lentis crystallinæ; atque major retinæ sensus: quæ radios copiosiores & vividiores transmittunt.

§. 97. *Hebetudo, amblyopia, amaurosis.*

Visus hebes quidem objecta distinguit in debita distantia, sed non perfecte: tenebricolus, amblyopia dictus, sistit objecta quasi trans nebulam. Causa rursus degeneratio tunicarum & humorum a pelluciditate naturali; quæ minor visum hebetem, major tenebricolum facit; tum & minor retinæ sensatio. Perfectam vero cœcitatem, sed ex deficiente retinæ sensu, amaurosin & guttam serenam vocare consueverunt.

§. 98. *Alia symptomata læsi visus valde momentosa.*

Agitatio tremula retinæ visum efficit instabilem, qui objecta quieta repræsentat tanquam mota. Objectum quoque, quod unicum est,

est, apparet aliquando duplex, vel multiplex: quod evenit quando, sicut in luscitate, focus non in idem punctum in utraque retina cadit; & quando maculæ corneæ, aut lentis crystallinæ efficiunt, ut in una retina plures separati fiant foci.

Humores corneæ, uveæ, membranæ choroideæ, interdum diverse colorati suam umbram intermiserunt radiis luminis, & varios exhibent colores, scintillas, flammisque, & objecta alia.

§. 99. *Auditus læsi symptomata, & primo quidem auditus nimis acutus.*

Auditus læsi primaria symptomata quidem numerantur ejus augmentum, imminutio, ablatio, depravatio.

Nimis acutus, etiam oxycoja nominatus, est quando dolorem excitant soni mediocres. Fit ex nimia tensione, & distractione vasorum, nervorum, membranarum organi auditorii: ipse dolor sæpius est acutissimus.

§. 100. *Auditus gravis, abolitus.*

Auditus gravis, vel barycoja, dicitur quando perceptio soni minor est quam ejus magnitudo in sanitate requireret; soni moderati minus distincte, aut plane non audiuntur. Hujus causæ sunt,

Auris extenæ nimia complanatio, ablatio ; meatus auditorius nimis rectus, angustus, aut ejus obstructio a tumore quocumque, materie ceruminosa, purulenta, pulverulenta ; ejusdemque membranæ laxitas, & mollities ; membranæ tympani laxitas, major crassities, ruptura, destructio.

Cavitationis tympani defectus, aut mala conformatio ; præsentia copiosi purulenti, saniosi, sanguinei, pituitosi humoris in eadem, vel externa corpora illapsa post rupturam membranæ tympani ; solutio ossiculorum a nexu suo, vel eorum immobilitas ; defectus fenestræ ovalis, rotundæve ; obstructio tubæ eustachianæ.

In toto labyrintho contingunt eadem ; ut conformatio mala, membranarum exsiccatio, obstructio, tumor, inflammatio, exesio, corruptio. Et ipse quoque nervus auditorius ad originem, in decursu, & ad finem suum impedi destruique potest.

Istæ nunc enarratæ causæ possunt organum auditus ita vitare, ut soni quamvis validi non percipiuntur ; hoc vocatur surditas vel cophosis : unde laquelæ ignorantia, vel oblivio.

§. 101. *Auditus depravatus.*

Depravatus est auditus qui fallit cum genuinam soni perceptionem non exhibet. Aliquid

quid est sæpe simile in auditu nimis acuto, & pariter in gravi. Sed etiam sine his contingit, ut perceptio non respondeat propriis tali sono qualitatibus: quod similiter variæ dispositioni organi tribuendum est. Huc referri quoque solent illi soni, qui intra aures excitati videntur ab externo corpore proficisci; qualis est susurrus, tinnitus, bumbus, echo: qui in auris fluxionibus & doloribus, in cerebri morbis inflammatoriis, ac in convulsionibus sunt frequentes. Susurrus, tinnitus, bumbus fiunt a majore motu arteriarum illius organi, & ab infectis in externo meatu motis. Echo potius eidem iterato membranæ tympani motui imputandum esse videtur; cujus causa mobilitas major ejusdem membranæ, & interdum copiosior aer in tympano contentus.

§. 102. *Olfactus nimis acutus, minutus, ablatuſ, depravatuſ.*

Teneritudo nervorum in naribus, eorum nuditas, major tensio, ulcera recentia faciunt olfactum nimis acutum. Minuitur, aut tollitur, primo defectu quatuor ossiculorum spangioforum, vel cavernarum in osse frontis, maxillæ superioris, & cuneiformi osse; 2do membranæ olfactoriæ siccitate, humiditate, inflammatione, suppuratione, gangræna; 3tio compressis olfactoriis nervis per tumores quoscunque hic enatos, exostoses, polyposque; 4to a vitiis in cerebro ad originem nervorum, quod de omnibus sensibus semel dictum esse

potest. Depravatur etiam a fœtore materiæ cujuscunque in locis his cavernosis stabulante, atque assiduo exhalante.

§. 103. *Gustus nimis acutus, imminutus, deletus, depravatus.*

Gustus quoque nimis sensibilis & dolens redditur nimia tensione, vel excoriatione papillarum nervearum, cuticulæ ablatione, vel excessu tenacitatis ejusdem. Minuitur, vel tollitur si papillæ gustantes obducuntur crusta, sordibus, mucositate, aphthis, pelliculis, pustulis, verrucis, inflammatione, exsiccatione, læsione accedente sæpe nervorum quinti & noni paris. Depravatur vitio humoris prædominantis, imprimis salivæ ori infusæ, quæ sapore peccans multa hic producit effecta, haud aliter ac si res assumptæ repræsentato hoc sapore donarentur.

§. 104. *Tactus nimis sensibilis, stupor, insensibilitas.*

Tactus lædi solet primo in nimis acuta sensibilitate, vitio nervum non satis tegentis cuticulæ, ejusve forte nimia tensione & tenacitate simul; deinde in stupore vix sentiente, vel admodum obtuse, & quasi per interpositum medium, quod contingit præ frigore nimio extremi organi, vel nervi, aut cerebri, vitio, ut ab interposito cujusdam sensui ineptæ materiæ; etiam in obolita plane tangendi facultate.

tate ab omni causa, quæ nervos, cerebrum, aut utraque inepta reddit colendo huic muneriri, ut profecto apoplexiæ & paralyfis historia fatis docet.

§. 105. *Pervigilium morbosum.*

Pervigilium, ut actionem continuatam sensuum, efficiunt magnæ curæ, dolor & vehemens irritatio quocunque loco, plurimi morbi capitis, circulatio valde accelerata, & quæ humores abundantius ad encephalum determinant, ut artuum frigus, obstructions viscerum abdominalium.

§. 106. *Somnambulatio.*

Noctambulatio vel somnambulatio somnium est erumpens in actum. Sopiti sunt sensus externi; interni vero cogitatione agitantur, & in musculos, præsertim artuum, exercent imperium: sed non est sufficiens attentio & consideratio; & ideo noctambuli plerique, nisi ipso opere expergiscantur, se surrexisse ignorant.

§. 107. *Nimia somnolentia, comata, carus, lethargus.*

Oritur nimia somnolentia ab iis causis, quæ liquidorum idoneorum copiam in organo sensuum necessariam minuunt; vel quæ horum liquidorum motum per eadem organa

requiritum impediunt; vel quæ eorundem organorum actionem singulari virtute supprimunt. Quæ sunt mentis corporisve conatus acerrimi diu protracti; evacuationes sanguinis vel alius humoris factæ qualibet via; defectus bene elaboratorum liquidorum subtilium in ipso cruore malo. Motus humorum languidior in toto corpore; cerebri obstructio vel compressio ab humoribus ibidem hærentibus frigidis vel inflammatoriis, a plethora maxime, tumore aut effuso liquido intra cranium, intropensione cranii, vel concussione cerebri. Abusus corporum narcoticorum, tum inebriantium, aut adulatorum, naribus subjectorum, vel ingessorum.

Quando somnolentia crevit eo usque, ut non amplius arceri somnus queat, eademque permanet, vocatur coma, carus, lethargus. Coma vigil, & agrypnodes ubi est insuperabilis proclivitas in somnum cum perpetua a terribili insomnio excitatione, ac perpetuo & repentino relapsu in eundem somnum; quod a stimulo vehemente, frequenter ex inflammatione nato, fit. Coma somnolentum, seu hypnodes, ubi assiduo dormit æger, difficulter excitatur, & illico relabatur in somnum; est plerumque priori periculosius, sive febrem comitem habeat, sive non. Carus, profundissimus somnus cum repentina sensuum motuumque abolitione, una cum febre acuta, ac difficili admodum & imperfecta excitatione; est apoplexiæ calidæ levius genus. Lethargus,
pro-

profunda, tranquilla, obliviosa somnolentia, ex lenta frigidaque causa. Cataphora vix ab antecedentibus differt.

§. 108. *Insensibilitas vel Anæsthesia, debilitas sensuum internorum, alienationes mentis, seu deliria.*

Insensibilitas omnium sensuum externorum, anæsthesia dicta, est facultas ablata percipiendi actiones objectorum sensibilium in organa sensuum: cujus causæ fuerunt in enarratione sensus externi cujusque indicatæ. Minor ejus gradus est confusio, deinde stupor, & hebetudo. Meditabundis admodum familiaris. Sed morbosa persistit, periculosissima est, & nunquam adest quin sensus interni multum simul laborent: minuuntur enim hi quoque, delentur, turbantur.

Est autem memoria debilis, cum idea rei cogitatæ facile evanescit: confusa, cum non pura distinctaque permanet: abolita, cum idea ipso fere, quo nascitur, momento deletur. Sic est & judicium debile, quando pro rata cognitione rerum non satis acuta est idearum comparatio: confusum, quando ideæ distinctæ non sunt, nec pure inter se comparantur, unde conclusio turbata, id est minus distincta sequitur: abolitum, quando plane periit facultas comparandi res cogitatas. Pariter utique patitur ratiocinium, cum omnino sit nexus plurium judiciorum simplicium; & eo certe magis quo plus memoria judiciumque fallunt.

Ira se habent vitia illius, quæ ratio nominatur, mirabilis facultatis contemplandi cum discretionem veri bonique ideas ab objectis externis in organa sensuum agentibus, vel a voluntate nostra excitatas.

Sed & similes ideæ seu imagines absque voluntate nostra excitantur a causis internis in cerebrum agentibus; easque, qui sic laborant, a causis externis natas credunt: quæ, cum sanæ menti sint contrariæ, vocantur imaginatio depravata, dementia, insania, delirium. Hinc delirium simpliciter dicitur ortus idearum non respondens causis externis. Delirium vero dicitur phrenitis, si forox, perpetuum, cum febre acuta continua, a cerebro primario affecto: simpliciter delirium vel paraphrosyne, si ab alio morbo natum: furor, si violentum: mania, si sine febre & ferocitate perpetuum; in furorem sæpe degenerat: melancholia, si circa quasdam res tantum versetur: stultitia, si placidum & curarum expers.

Horum omnium causæ, etsi numerosæ sint, omnes pertinent ad mutationes cerebro nervisque contingentes; & humorum copiam, motum, naturam.

§. 109. *Vertigo, apoplexia, paralysis, paraplegia, hemiplegia.*

Vertigo, apparens objectorum rotatio, vel confusa motitatio, atque membrorum vacil-

cillatio. *Causæ*, compressio, vel obstructio, cerebri, ac insolita retinæ agitatio, potissime a repleta nimis calvaria, imminutave ejus capacitate, cerebri concussu, plethora, capitis fluxionibus, inclinationibus corporis; a nimia ventriculi repletionem; vermibus, bileve, spasmos excitantibus; nimium odoratis, aut inebriantibus, aut pluribus veneni nomine notis corporibus; circumgyratione corporis, infueta celerique vectione in rheda, navi; despectu ex alto ac prærupto loco cum periculi conscientia turbante animum. Præcedit apoplexiam frequentissime, & post eam curatam remanet aliquando.

Apoplexia exquisita est abolitio subita, integra sensuum externorum, internorum, motuumque voluntariorum omnium, respiratione & pulsu perdurantibus, quandoque auctis, & quandoque, quod pejus est, imminutis; ac plerumque cum stertore; somno profundissimo similis admodum. *Causæ* multæ eadem ac vertiginis, sed majores. Compressio cerebri ab ossibus cranii intropressis, tumoribus internis, vel introrsum prominentibus, nimia vasorum plenitudine, humoribus effusis, violenta cerebri concussione, magna membranarum earum inflammatione, impedito reditu sanguinis venosi ab encephalo. Memorant quidem etiam impedimenta sanguinis ad cerebrum appellendi, vitio vasorum vulneratorum, compressorum, aut polyposo spissamento obstructorum:

quorum effectus tamen apoplexiæ definitioni convenire non solent.

Sed paralyſis eſt immobilitas muſculorum flaccidorum, creberrime voluntariorum; quæ cum occupat omnes muſculos voluntarios ſub capite, quamvis lingua pharynxque nonnunquam plus minus quoque affecta ſit, dummodo encephalum maneat intactum, Paraplegia: cum omnes unius lateris totius corporis, hemiplegia: cum unam partem tantum, ſimpliciter paralyſis dicitur: Superest non raro ſenſus aliquis. Accidit ſubito, ſicut apoplexia, niſi quod paralyſis partis ſingularis interdum lente fiat. Cauſa hæret in nervis, arteriis, venis, humoribus, muſculis: hæ partes ſolidæ poſſunt comprimi, obſtrui, vulnerari, deſtrui; & humores peccant indole, vel motu. Tamen eſt maxime vitium nervorum, & quidem ad eorum originem ex medulla oblongata, vel ſpinali, præſertim in paraplegia & hemiplegia.

§. 110. *Convulſio, tetanus, & ejus ſpecies.*

Convulſio ſeu ſpasmus eſt contractio muſculi invita & violenta. Sed eadem contractio vocari ſolet proprie convulſio cum muſculus contractus alterne relaxatur: tetanus, ſi muſculus, ſine relaxatione alterna, contractus maneat. Tetanus poteſt, perinde ac convulſio, univerſalis eſſe totius corporis, & tunc riget totum corpus: vel ſingularis unius cujuſdam partis. Vocatur etiam emproſthotonus,

nus, qui caput, eollum, thoracem, lumbos ad anteriora flectit: opisthotonus, qui partes easdem retro curvat; collum obstipum, quod caput ad latus, vel antrosum inclinatum figit: spasmus cynicus, qui maxillam apertam rigidamque, vel pertinaciter clausam tenet. Verum non in omnibus scrupulose hoc tetani spasmique discrimen attendunt: quippe similem contractionem persistentem, v. g. pulmonum, ventriculi, intestinorum, sphinctorum, vocare, non tetanum, sed spasmus sucti sunt.

Nascuntur ab irritatione musculorum facta ex ipsorum læsione, vel ipso humorum motu difficili & vehementi, vel acrimonia quadam irritante vehementius. Sed sunt multo crebriores, universaliores, plerumque crudeliores, ac promptiores, quæ fiunt ex sola nervorum, cerebrive affectione vel violenta, vel alia quadam intolerabili: quod profecto docent sæpe læsiones cerebri, & nervorum quocumque loco; odoratus, & gustatus multorum corporum acrium aut non acrium; non pauca venena in ventriculo adhuc præsentia, nullum etiam ibi dolorem creantia; affectus animi; subita inanitio; & similia quam plurima.

§. III. *Epilepsia.*

Epilepsia, morbus caducus, est subita, integra abolitio sensuum externorum, internorum, motuumque voluntariorum, cum reciprocis violentis convulsionibus, & tandem resolu-

lutione. Sunt ergo tria tempora: invasionis, convulsionis, & resolutionis.

Invasio est abolitio subita sensuum & motorum voluntariorum, plerumque casus & quidem subitus, clamor insolitus ac unicus tanquam hominis summe terrefacti: tunc est anhelatio, suspirium, pulsusque parvus, celerior, aliquando intermittens.

Sed multo sæpius illico casum seu invasionem excipiunt convulsionem totius corporis, ergo capitis, quæ cæteris sunt periculosiores, artuum, cum pollicis in palmam contractione, oculorum, frontis, maxillæ inferioris, intestinorum, sphincterum ani & vesicæ, & interdum miræ contorsiones. Interea fiunt, abdominis inflatio, borborygmi, nec raro palpebrarum labiorumque livor; & si paroxysmus major est, cutis, maxime facies sanguine suffusa turgēt.

Per hos labores vincitur causa convulsionis, vel mutatur prior cerebri conditio, succedit omnium muscutorum voluntariorum relaxatio quasi paralytica, & occupat somnus profundus apoplectico fere similis; urina sæpe, fex alvina quandoque per se exit: atque convulsionis modo respondet resolutionis somnique magnitudo, sed non duratio. Evigilans demum homo nihil præter lassitudinem sentit, nisi se ipse læserit. Morbus ille sæpe, & diu

repetens debilitat sensus, & ad apoplexiam disponit. Tamen frequentia paroxysmorum, violentia, duratioque in variis hominibus valde differunt.

Hunc morbum produciunt multæ causæ convulsionum, in cranio, cerebro, nervis, sanguine, ejusque motu, primis viis, præsentibus; sed imprimis memorabiles sunt ingentes curæ, ira, terror, Venus, suppressio fluxus menstrui, hæmorrhoidalisque. Ex quibus aliæ sunt curabiles; aliæ nec deteguntur quidem, nisi aliquando post mortem; & si detegantur, sæpe tamen superari nequeunt. Præ ceteris aggreditur infantes, hystericas, puerperas, & eos, qui sunt irritabiliores. Tamen neque semper robustissimis parcit.

§. 112. *Catalepsis.*

Ad eosdem morbos pertinet & ille, qui catalepsis appellatur: repente homo privatur omni sensu, omnique motu voluntario; eundem corporis statum servat, quem ipso invasionis articulo habebat; artus quamlibet directionem admittunt & retinent; oculi manent aperti, respiratio pulsusque paulo debiliores sunt quam in sanitate. Levior ejus gradus aliquid sensilitatis, aut memoriæ, auditus, vel aliquam deglutiendi facultatem relinquit. Aliquot minutis ut plurimum, diutius interdum tenet, & sæpe degenerat in epilepsiam, aliasve convulsiones. Hanc cerebri insensilitatem, &
hunc,

hunc, qui musculos voluntarios tendere videtur, levem tetanum efficiunt variæ primarum viarum affectiones, humores spissi, præcipue atrabilarii, profundissimæ meditationes, terror, ira summa.

§. 113. *Vitia qualitatum corporis.*

Qualitas corporis vitata dicitur, quæ dispositionem in sensus incurrentem lædit. Consideratur hic quam maxime quoad colorem, odoremque.

Cutis, cuticulæ, tunicæ oculi adnatæ, tunicæ corneæ, labiorum, oris, linguæ, faucium, carunculæ oculi, color pallidus, flavus, viridis, lividus, ruber, ater, pendet a similibus corporibus per pellucida vascula translucen-
tibus; & prout varia serie se mutuo exceperint, etiam varias causas agnoscunt; ut in phlogosi, gangræna, sphacelo, &c. patet.

Ossium pallor, rubedo, flavedo, fuscus aut ater color, a contusione, inflammatione, abscessu, medula morbosa, ablatione periostei, carie, spina ventosa.

Fœtor autem oritur ab humoribus stagnantibus, effusis, corruptis, vel venenatis; ut & ab omni causa, quæ olea, & sales nimium attenuat, & volatilia reddit, ut est inedia, calor, motus nimius, acrimonia assumti.

SEMEIOTICE.

§. 114. *Signa morborum & sanitatis.*

Quum morbus sit effectus a sua causa pendens, ens est singulare ab omni alio distinctum, ideoque in sua propria singulari natura accurate cognoscendum ut curari queat. Quod idem de sanitate, ejusque gradu vario sentiendum. Natura morbi quidem & sanitatis, eo rarius per se sensibus apparet, quod ex iis, quæ intus aguntur, nihil conspiciatur. Sed effectus ab utraque editi manifestique tum & notitia causæ ad quamcunque corporis partem applicatæ, sunt signa certa, quibus hujus & illius præsentia, natura, magnitudoque dignoscitur.

§. 115. *Signorum divisio.*

Signa hæc vocantur Diagnostica, quæ statum præsentem patefaciunt: anamnestica, quæ prægressum revocant in cognitionem: prognostica, quæ futurum prænunciant: pathognomica, quæ sunt inseparabilia ab ipso morbo, & eum vere distinguunt, estque raro unicum, frequentius est aggregatum plurium concurrentium: epigenomena, quæ docent omnes variatas morbi conditiones, ut materiei cruditatem auctam, coctionem, evacuationem; quæ eadem tum decretoria vel critica nominantur, quando instantem, vel quæ jam fit,

mutationem promptam in fanitatem , alium morbum , mortem denotant.

SIGNA SANITATIS OPTIMÆ, ET LONGÆVITATIS.

§. 116. *Qui sani dicendi ; quæ signa sanitatis constantis.*

Illi sani sunt, qui suas actiones omnes exercent facile, commode, læte, constantissime. Harum conditionum tres priores protinus cernuntur. Quarta vero tantum cognoscitur ex compage totius machinæ diligenter quoad solida, fluida, effectus considerata: sic enim optime patent ejus dotes durabiles, quæ constantiam sanitatis & simul longævitatem magnam promittunt.

Sunt hæc. Confomatio bona, potissime cranii, thoracis, abdominis. Solida crassa, densa, tenacia, & ita connexa, ut eo ipso durabilia appareant, & facile suo munere fungantur. Thorax latus, amplus. Abdomen gracile, compressum. Brachia, femora, crura firma, torosa, densis setosis pilis hirta. Cranium magnum; a parte postica maxime. Cutis dura, caro multa, adeps parcior. Respiratio lenta, magna, plena, facilis, æquabilis, cum minima apparente mutatione organorum pneumaticorum. Pulsus arteriarum len-

lentus, magnus, admodum plenus, fortis, æquabilis, constans, per causas leviores non mutabilis. Alvus tardior, sine incommodo sicca. Urina parcior, & cocta. Sudor rarus. Somnus profundus, æqualis, reficiens. Voracitas cum digestionem facili. Tolerantia laborum. Tarditas tam ingenii, quam motuum animi, & corporis. Constantia ad mutationes accidentes. Calor æqualis, & moderatus toto corpore. Color roseus & candidus, vel læte nigrescens. Levitas ad sensum. Maxima vis resistendi omnibus morborum causis, non autem paucis, ut quibusdam contagiosis, vel alicui speciei veneni. Sanguis floridus, sed crassior, & cito concrescens in molem tenacem. Reliqui humores copiosi, tenaces, blandi, minus oleosi. Tum & absentia pulsationum, tumorum, dolorum, calorum, immobilitatis, insensibilitatis, in variis partibus variorum.

Adjicitur conceptus ex parentibus sanis, non enervatis, sed vegetis, & plenæ ætatis. Gravida corpus exercens, tranquillæ mentis, utens alimento bono, unum modo fætum utero gerens. Partus post novem menses integros, maxime in decembrem, januarium, februarium incidens. Incrementum nati lentum, æquabile, totius molis & virium usque ad vigesimum quintum, & ultra, annum ætatis.

SIGNA SANITATIS SINGULARIS.

§. 117. *Sanitas cujusque visceris, totius corporis; temperamentum.*

Optima visceris cujusque conditio noscitur similiter ex ejus actione exercitata facile, & constantissime. Atque hæc omnium partium sana conditio præsens est sanitas totius corporis. Sed fere in quovis homine partes solidæ omnes, vel quædam, etiamque ipsi humores aliquomodo differunt, ut propterea quisque propriam habere sanitatem dicatur. Hoc est cujusque natura singularis, idiosyncrasia, sanitas temperiei, temperamentum; cujus differentiæ propemodum infinitæ sunt; eas tamen ad octo capita generaliora veteres utilissime revocarunt: quæ sunt temperies calida, frigida, humida, phlegmatica, sicca, biliosa, atrabilaria, sanguinea.

§. 118. *Temperamentum calidum; siccum.*

Calidi temperamenti signa describuntur esse pili flavi, crassi, copiosi toto corpore. Color oculorum in alba parte rubescens, in carunculis lacrymalibus, facie, labiis, ore, valde ruber. Corpus gracile, agile, robustum, calidum. Pulsus major, crebrior. Iracundia, sed brevi furore detonans. His videntur esse vasa robusta, contracta, viscera valida,

da,

da, humores valde moti, densi; quibus humectantia, diluentia, temperata profunt.

Eidem sat simile est siccum, si macies est, vasa magis contracta durioraque, & humida pauca sunt.

§. 119. *Temperamentum frigidum; humidum.*

“ Frigidi temperamenti signa sunt, glabrities, pili tenues. Color pallescens. Corpus crassius, tardius, debile, frigidum, facile tumens. Pulsus minor, tardior. Anaesthesia, metus. His humores blandi, aquosi, pituitosi tardi; solida laxa, flaccida. Profunt roborantia, calefacientia.

Humidum autem facile convenit frigido, si tumor accedit.

§. 120. *Temperamentum phlegmaticum.*

Hoc depingitur glabritie cutis majore. Pilis albis, tenuibus, tarde crescentibus. Corporis albedine, tumore, mollitie, pinguedine. Venis angustis, latentibus. His videntur vasa sanguinea angusta, lateralia vero latiora. Conveniunt frigidis. Juvat quidquid calefacit, roborat, siccant.

§. 121. *Temperamentum biliosum.*

Cognoscitur a pilis copiosis, nigris, crispis. Carnis duritie, macilentia, gracilitate. Colore fusco. Venis magnis. Pulsu magno, celeri. Pertinacia, & iracundia. His videtur major solidi, quam humidi copia excedere; siccis conveniunt, & calidis. Humeſtantia, refrigerantia profunt.

§. 122. *Temperamentum atrabilarium, vel melancholicum.*

Glabrities. Pili nigerrimi. Macilentia ingens. Siccitas magna. Color ubique maxime niger, qui in tali natione cernitur. Constantia. Ira memor. Magna penetratio intelligentiæ. His vasa videntur stricta, robusta, macria; humores densi, tenaces, admodum permixti, nec facile separabiles, aut mutabiles. Juvantur omni humeſtante, emolliente, leniter & sine acri dissolvente.

§. 123. *Temperamentum sanguineum.*

Distinguitur pilis rarioribus flavo albis, fuscis. Carne molli, copiosa. Venis amplis, cœruleis, sanguine distentis. Colore roseo. Iracundia. Flexili mobilitate. Profunt his evacuantia; temperantia: nocent valida stimulantia.

§. 124. *Quam utilis & facilis sit cognitio temperamentorum.*

Porro maxima hinc utilitas in perspiciendis morbis, qui ex quolibet temperamento oriundi, unicuique proprii videri queunt, unde hinc magna pars causarum proegomenarum pendet. Nec difficillime comparatur hæc notitia, quum reduci queat ad exercitium functionum; humorum copiam, naturam, & motum; solidorum, & præcipue vasorum copiam, robur, & magnitudinem. Sed temperamenta habent majorem, vel minorem gradum; neque semper unum ab omni alio perfecte distinctum est, v. g. calidum inclinare potest in sanguineum; quo factum est, ut incongrua permiscuerint aliquando.

SIGNA MORBORUM.

§. 125. *Signa morbi futuri, præteriti, præsentis.*

Signa futuri, vel potius incipientis morbi sunt; animadversa mutatio infueta functionum; præcipue quidem imminuta perspiratio sanctoriana; lassitudo insolita; corpus ad sensum gravius; notitia causæ applicatæ, cum corporis temperamento, singularique structura comparatæ; effectus jam perspecti; quos
pro-

producere solet, dum ingruit, morbus epidemicus aliquis dato tempore regnans.

At præteriti morbi signum est omne vitium, vestigiumve, quod superest in solidis, fluidis, vel in functionibus. Qui partium usus perspectos in sanitate confert iis defectibus, qui relictæ sunt, inde concipit indolem morbi.

Præsentis autem morbi signa spectant ejus causas, naturam, symptomata, statum, eventum. Naturam causæ pandit ætiologia, temperamentum, & observata natura effectuum in lentius incurrentium.

§. 126. *Signa morborum partium solidarum.*

Equidem ut morbi solidarum in propria divisione, alibique traduntur, plerorumque signa ex ipsa eorundem descriptione concipiuntur, oreque explanantur; & externi, quatenus sensibus patent, alioqui facile cognoscuntur. Tamen modo de morbi præsentia, vel sede, modo de statu, vel eventu dubium esse potest; in illis præsertim, qui profundius latent, sive vestigium aliquod externum habeant, sive non habeant. Ideo regula quaedam quasi in omnibus duce opus est. Hanc exhibent, primo

Consideratio causæ externæ, internæ, quoad figuram, duritiem, gravitatem, magni-

ni

nitudinem, aliamve qualitatem; tum quoad applicationis vim, modum, directionem, profunditatem, durationem.

Vulneris, vel ulceris apertura quoad magnitudinem, figuram, directionem, profunditatem spectata.

Quod ex eodem loco prodit, vel in eodem hæret.

Conspecta mutatio in qualitatibus corporis, aut solius partis affectæ, læsæ; vel in ejusdem situ, nexu.

Observata læsio functionis alicujus, aut plurium; ejusque magnitudo.

Excreta indolis & copię diversæ, per vias solitas, vel infolitas.

Symptomata diversa bene cognita, & comparata cum scientia anatomica partium.

Ex iisdem, & imprimis ex cognita natura partis laborantis, symptomatibusque apparet omnis magnitudo morbi. Nec minus patescit futurus eventus, si modo læsæ functionis influxus in vitam, vel sanitatem; natura partis affectæ, morbi, ægri; partes vicinæ; difficultas applicandi remedii, perpenditur.

SIGNA MORBORUM IN HUMORIBUS.

§. 127. *Ordo servatus ; acrimoniæ signa.*

Veniunt primo loco signa acrimoniarum ; sub hæc nimiae fluiditatis, nimiae tenacitatis, & illa quæ petuntur ex urina ; dein signa læfæ functionis vitalis, ut pulsus, & respirationis ; tandem morborum acutorum. Accommodatissimus enim ad rem hic ordo videtur.

Signa acrimoniæ in humoribus sunt imprimis dolor sine signis motus aucti, & sine apperente obstructione majore, aliave causa ; ut erosio partium sine tumore præsentem. Nec tamen valde difficulter noscitur plerumque, quando simul etiam adest febris, vel inflammatio, vel tumor alius.

§. 128. *Signa acrimoniæ alcalinæ.*

Prodeunt hæc ex dispositione ad putredinem incipiente, vel jam multum provecta. Non omnia simul in omni ægro, nec semper adeo magna apparent. Sunt fœtor cadaver olens in toto, vel in parte ; sapor ut carnis vel urinæ putrefactæ ; nares, lingua, fauces, aridæ ; sitis ingens, vix sedanda ; appetitus prostratus, ab omni cibo abhorrens ; scæces alvi solutæ, cadaverosæ, splendentes, fuscæ, nigræ ; urina acris, crassa, fusca, spumescens,
fæ-

fætida instar putrefactæ, vix demittens fœces; cruor tenuis, dissolutus, floridus, vix concrefcens; cutis externa arida, interdum tamen sudore tanquam putrefacto madida; erosio cineritia, plumbea, nigra, celerrime proserpens; pustulæ rubellæ, ichorosæ, fuscæ, plumbeæ, nigræ, subito gangrænosæ; maculæ purpureæ; bubones, anthraces; inflammationes externæ, internæ, acutissimæ, celerrimæ; sphaceli cum bullis elevatis.

§. 129. *Signa acrimoniæ acidæ.*

Signa acrimoniæ acidæ in humoribus sunt fœtor acidum spirans, sapor similis; color pallidus faciei, anguli oculorum, labiorum, oris, gingivæ, faucium; erosio lenta cum pallore; sitis non magna; appetitus sæpe ingens; digestio celerrima; validus appetitus rerum terrestrium, & absorbentium; tormina alvi cum pallore & frigore; fœces alvi acidum spirantes, virides; urina stranguriosa, crassa, alba, cum sedimento crasso, copioso; cutis laxa, & sudor sæpe multus & acidus; sanguis crassus, quandoque pallidior, aliquando nigrescens; inflammationes leviores & lentiores.

§. 130. *Signa acrimoniæ muriaticæ,*

Hujus acrimoniæ signa sunt sapor salsus; erosio lenta, sed multum pruriens, & ruborem inducens; sitis assidua, ingens, vix le-

danda; siccitas, tandem rigiditas; urina falsa, tarde putrescens, cum fedimento spisso, & pellicula tenui pinguiuscula ac salina innatante. Juvamen ab aquosis maxime.

§. 131. *Signa acrimoniæ oleosæ.*

Signa acrimoniæ ex oleo corrupto natæ sunt foetor empyreumaticus; sapor amarus, rancidus, acer, pinguis, ut ab oleo ambusto, vel putrefacto, fauces exurens, nidorosus; erosio fervida, nigra; appetitus cum horrore deletus, nausea, sitis summa; fœces alvi pingues, fœtidæ, dum redduntur, fervidæ; urinæ paucæ, flammeæ, calidæ, spumolæ, fœtidæ; cutis arida; oris siccitas, sordes, graveolentia; cruor ambustus; inflammationes acres, celeres, pertinaces, suppurationes similes, gangrænæ fœtidissimæ. Juvamen a frigidis, acidis, aquosis, saponaceis.

§. 132. *Nimia fluiditas.*

Fluiditas nimia cernitur ex perspiratione sanctoriana, sudore, urina, saliva, fœce alvina liquida, nimis auctis; totius corporis marcore, contractione, debilitate, mobilitate; siti.

§. 133. *Tenacitatis nimicæ signa.*

Signa tenacitatis auctæ nimis sunt tumor, dolor, anxietas; circulatio, secretio, excretio, impeditæ; lentor humorum circulantium, secretorum, excretorum. Comitans frigus manifestum designat pituitosam: calor inflammatoriam: horum absentia atrabiliariam.

Ex animadversis ante memoratis acrimoniis, ac fluiditatis & tenacitatis indiciis innotescunt etiam signa prædominantis aquæ, salis, olei, terræ. Si cum his signis circulatio valida sit, tum designatur citissima destructio, exhaustiove; contraria autem oppositum demonstrant.

URINA UT SIGNUM.

§. 134. *Urina copiosior.*

Ex conspectu urinæ judicaturus de statu corporis sciat, lotium sani hominis in eo ipso, & in aliis illi comparatis, varium esse pro varietate ætatis, sexus, temperiei, tempestatis anni; sex rerum non naturalium, & medicamentorum: hinc ergo in ferendo iudicio de urina simul accuratissime attendendum ad reliqua signa in morbis apparentia: aut aliter artem hanc ubique fallaciæ esse plenissimam.

Pro diagnosi & prognosi considerantur, ejus copia, color, odor, fluiditas, & contenta illi inhærentia.

Copia solito major designat quædam horum sequentium, vel omnia simul: abundantiam potus aquosi; laxitatem singularem fistularum renalium; perspirationem, sudorem, salivam, imminui; diuretica assumpta; cruoris miscelam cum aquoso imperfectam; affectus nervosus, temperiem hystericam, morbum hypochondriacum. Præsignit vero remanentis crassitiam & acrimoniam; sitim, obstructions, & anxietates, horumque effectus; tabem æstuantem.

§. 135. *Urina parcior.*

Contra parcior solito significat potus penuriam, vel nimiam in eo abundantiam spirituum fermentatione productorum; vasa obstructa, vel spasmo contracta; augmentum aliarum excretionum. Præsignit repletiones futuras, hydropem, gravitatem, torporem, soporem, convulsiones, mortem sæpe apoplecticam.

§. 136. *Urina tenuis, excolor.*

Tenuis quasi aqua, limpida, excolor, inodora, copiosa denunciat copiam potus aquosi ingestam; vasa renalia admodum contracta, dum interim humores valde agitantur;

tur; arctam in ea cohæſionem olei, ſalis, terræ, & difficilem aquoſi cum his permixtionem; affectus animi enormes, inſultus hypochondriacos aut hyſtericos, pallorem virginum, partum modo antegreſſum; viſcera coctioni imparia, cruditates, pituitam, frigus; obſtructiones vaſorum & viſcerum; in acutis vero notat coctionis impedimenta & criſeos, atque hinc materiæ morboſæ depulſum in partes interiores corporis. Portendit eadem fere ac copia ſolito major excreta; ſed in acutis morbis, & inflammatoriis prædicit peſſimam conditionem viſcerum, deliria, phrenitides, convuſiones, mortem, natâ ex acri retento gangrænâ.

§. 137. *Urina rubra, ſine ſedimento.*

Rubra absque ſedimento in morbis acutis docet motum & attritum validum inter vaſa & humores; intimam & tenacem permixtionem olei, ſalis, terræ, aquæ in humoribus; hinc cruditatem magnam morbi; longam futuram durationem ejus, & magnum in eo periculum. Præſagit deſtructiones gangrænoſas vaſculorum minimorum, maxime in cerebro, & cerebello; coctionem difficilem, criſin tardam & ambiguam. Hæc omnia eo pejora ſunt, quo magis rubra, vel flammea & ſimul ſine ſedimento, eſt urina.

§. 138. *Urina rubra cum sedimento.*

Rubra una cum sedimento copioso, gravi, lateri rubro contrito, aut bolo rubræ, simili designat, antegressum esse motum attritus vehementem; vasa laxa, cruorem acrem salinum, solutum. nutritioni ineptum; febres intermittentes valido paroxysmo defunctas; in oris septentrionalibus his scorbutum. Hinc præfagit longitudinem morbi; vasculorum attritionem, debilitatem, destructionem; sudores, urinas, salivam, diarrhæas, colliquativas; atrophiam, hydropes quoscunque. Si ejusdem urinæ sedimentum est furfuraceum, squamosumve, designat eadem quidem, sed pejora.

§. 139. *Urina ictericia.*

Quæ colore croceo tingit immissa, aut vitrum sic colorat, simulque habet sedimenta lateritia, vel squamosa, designat icterum, atque certa ejus symptomata in cute, alvo, hypochondriis, toto corpore; unde præfagia clara ex historia ejus morbi petenda.

§. 140. *Urina atrabilaria.*

Viridis colore una cum sedimento crasso significat temperiem atrabilariam, ejusque materiem jam solutam excerni: adeoque anxietates ad præcordia, perturbationes alvi, dolores iliacos & colicos. Præfagit, mate-
riem

riem atrabiliariam solutam, motamque, raptam iri in cruorem & viscera; unde infinita & acuta sæpe mala, quæ ex historia bilis atræ sic dispositæ peti debent. Quin etiam ex his noscitur, quid sentiendum sit de urina nigra, utpote ejusdem, at, pèjoris naturæ.

§. 141. *Urina, quæ varia corpora vehit.*

Quæ continet sanguinem, pus, carunculas, filamenta, pilos, anguillulas, grumos, arenulas, partes calculi, mucum in fundo, designat vitia renum, ureterum, vesicæ, testium, vesicularum seminalium, prostaticarum, glandularum Cowperi, urethræ. Quæ vero sit natura mali designati, ut & quis locus affectus, docere debent signa simul concurrentia, & observata in eo loco, ubi dicta prodeunt.

§. 142. *Urina, quæ pinguis videtur.*

Quæ pinguis apparet, plerumque gerit arenulas, maxime salinas, minimas viscido quodam nexas, & sic effingentes speciem membranulæ oleosæ. Notat abundantiam terræ, & salis hebetioris in sanguine. Præfagit scorbutum, calculos & similia.

Urina autem vere pinguis & oleosa, rarior certe, si observaretur unquam, notaret vasa attrita per majorem motum, hinc pinguis soluta, cruori mista, & cum urinâ excre-

creta; humores acres. Et ideo minabitur phthisin & atrophiam.

§. 143. *Urina spumans.*

Quæ conquassata spumam diu retinet, notat olea & sales in lixivium saponaceum mista, seu potius magnam viscositatem; adeoque coctionem & crisin difficilem, morbos fere pulmonicos, aut catarrhosos in capite.

§. 144. *Urina putredinem indicans.*

Fœtida sponte, notat sales & olea attenuata, soluta, fere putrefacta, hinc discrimen summum tam in chronicis, quam in acutis.

Colorata, sed plane insulsa, clamat effœtas naturæ vires, mortemque propinquam.

§. 145. *Quæ notat calculum.*

Pallida, tenuis, cum sedimento mucoso tenaci, falsamenta putrida spirans, fere semper notat calculum vesicæ.

§. 146. *Quæ in acutis præcipue mali omnis est.*

Urina tenuis & ruffa non subsidens; alba, tenuis, aquosa; aurea, tenuis, constans, non turbata; est in morbis acutis signum magnæ cruditatis, & pervicaciæ in ateriæ.

Quæ

Quæ turbida redditur, vel mox reddita turbatur, & perpetuo talis manet, nec subsidet, jumentosa dicta, notat in morbis valde acutis cruditatem magnam, crisin difficilem, morbi longitudinem, summum vitæ periculum; sed in acutissimis inflammatoriis fere certam portendit mortem; denique in acutis moderatis designat longum, molestumque morbum, & metastasin variam.

§. 147. *Quæ dat bonum signum in acutis.*

Urina, quæ habet sedimentum album, leve, læve, æquale, cito subsidens, turbinatum, vix odorum, toto morbi tempore usque ad crisin, est optimi præfagii.

Multa, alba, stranguriosa, cum sedimento copioso, alboque, critico tempore emissa, sanatur, & abscessus tollit.

Urina die indice critici copiosior, cum sedimento albo, vel rubello, copioso, levante, notat die critico sanationem fore integrâ crisi.

Urina igitur declarat nobis vere sanguinis indolem, impetum, symptomata; morbi statum, & coctionis; statum secretionis, & criseos; morbos renum, ureterum, vesicæ, & partium genitalium in viris; aliquas ægritudines in bile natas. Cetera si sola ex urina

conjiciuntur, admodum incerta, & ridicula ferre sunt.

DE PULSU ARTERIARUM UT SIGNO.

§. 148. *Pulsus fortis, debilis.*

Pulsus nunciat conditionem definitam cordis, & arteriarum; indolem, copiam, motum humorum. Sed oportet meminisse, quod natura arteriæ singularis, ætas, sexus, animi affectus, sex res non naturales, habitus corporis, temperies propria, regio, tempestas, mirifice pulsum mutare queant.

Pulsus igitur fortis notat vim validam cordis contracti; copiam cruoris, & hujus liberum circuitum. Est ergo boni prælagii, si toto corpore, in omnibus ejus partibus talis. Fallit in quibusdam morbis, ut in apoplecticis, & obstructionibus viscerum abdominalium.

Debilis notat omnia contraria priori, sed aliquando fallit in iis, qui valde obesi.

§. 149. *Pulsus magnus, parvus, plenus, vacuus.*

Pulsus magnus notat copiam cruoris, vim cordis, arteriam liberam & contractilem, circulationem bonam.

Parvus ostendit, vel deficere vires arteriam dilatantes: vel nimiam resistantiam arteriæ, sanguinisve.

Ut plenus indicat plethoram, sic vacuus sanguinis inopiam.

§. 150. *Pulsus durus ; mollis.*

Durus autem, qui & interdum valde contractus est, significat densitatem sanguinis inflammatoriam, obstructas arterias capillares, hinc læsam circulationem & secretionem.

Mollis significat contraria; sed tamen in peripneumonia valde acuta fallit maxime.

§. 151. *Pulsus rarus ; febrilis.*

Rarus intra datum tempus, sed æqualis, & facilis, constantibus viribus corporis, circulum humorum per omnia vasa expeditum monstrans, bonus.

Sed idem ex debilitate, humorum inopia, eorumve mala indole, utique malus & pericu-

culosus; eoque peior, cum inter motus suos reciprocos arteria videtur interquiescere.

Frequentior vero, qui febrilis nominatur, arguit animi affectus, acrimoniam, obstructions, inflammationes, vehementes corporis motus, & similia.

§. 152. *Pulsus æqualis; intermittens.*

Pulsus æqualis roboris, & frequentia, seu rhythmici, & temporis, vitæ constantiam declarans, bonus est: inæqualis ideo malus.

Intermittens in utraque manu, & præter consuetudinem, adeoque vim vitæ labilem designans, perniciosus; nisi adsint signa instantis criseos.

§. 153. *Quæ species pulsus unitæ bonæ, vel malæ.*

Quo plures boni pulsus species concurrunt, eo melior talis pulsus; & contra.

Ergo fortis, magnus, æqualis, tardusque simul, omnium optimus. Bonus quoque fortis & magnus; fortis & tardus; magnus & tardus.

Malus autem est durus, inæqualis, intermittens; frequens, debilis, parvus, intermittens; rarus, debilis, intermittens.

§. 154. *Variæ species pulsus, quæ memorantur.*

Pulsus undosus, (cum ex pluribus arteriæ dilatationibus continuo succedentibus secunda primam, tertia secundam magnitudine superat, idque quodam ordine recurrit, ita nominatus) plerumque magnus & mollis, notat bonas vires cordis, copiam & fluiditatem humorum, commodam arteriæ dilatationem & contractionem.

Dicrotus vel **resiliens** ostendit, præter contractionem cordis ob varias causas citius resumtam, sæpius nimiam movendorum molem & resistantiam.

Vermicularis est indicium modo humoris difficulter moti, modo deficientis virtutis moventis. Parum admodum differt a pulsu parvo.

Formicans, valde parvus, seu pôtius arteriæ motus tremulus, animi deliquii mortisque prænuncius.

Serratus est effectus arteriæ diversis locis magis dilatationi resistantis. Si chronicus non est, duro sociatur præcipue.

Caprizans, vel **subfiliens**, designat validam cordis contractionem, arteriam facillime

cedentem, & ut plurimum facillimam circulationem.

Myurus, qui mox admodum elevatus est, & deinde collabitur fere vacuus; a veteribus quidem commemoratus, sed hodiernis medicis vix observatus, videtur occurrere, si unquam, quando post longiora intervalla repletur tamen arteria, & rursus cito fere vacua fit. Tunc propinquam mortem indicaret.

§. 155. *Variatio pulsus ejusdem attendenda.*

Plurimum refert, advertere pulsus variationes, quo ordine se mutuo excipiant, quo tempore, qua die contingant: nam ostendunt variatam morbi conditionem, materiei cruditatem vel coctionem, crisin demum, & quid tunc agendum sit.

§. 156. *Ex pulsu futurae quaedam evacuationes prævidentur.*

Quidam pulsus futuras evacuationes nonnullas præmonstrant: Sic undosus sudorem, dicrotus hæmorrhagiam narium; mollis intermittens diarrhæam; magnus inæqualis, & interdum dicrotus menstrua; pulsatio in hypochondrio sinistro hæmorrhagiam narium.

DE RESPIRATIONE UT SIGNO.

§. 157. *Quid doceat respiratio..*

Respiratio nobis aperit conditionem pulmonum, cordis, viscerum abdominis, humorum, & circulationis. Est igitur ejus observatio maximi momenti.

Interim bene considerandum est, respirationem mire turbari & variari in diversis hominibus pro nativa constitutione; conformatione varia thoracis, pulmonum, diaphragmatis, abdominis; diversitate ætatis, sexus, affectuum animi, habitus corporis, regionis, tempestatis anni & cœli, atque similibus.

§. 158. *Quæ optima respiratio.*

Respiratio facilis, constans, magna, lenta, æqualis, reficiens, indolens, peracta solo leni motu muscutorum intercostalium, diaphragmatis, & abdominis, optima est. Significat optimam conditionem pectoris, pulmonum, cordis, abdominis, & etiam humorum. Illa autem quæ plurimas harum conditionum implet, bonitate optimam sequitur.

§. 159. *Respiratio difficilis ; dolens.*

Quæ difficilis est, indicat semper organa huic muneri servientia esse impedita, vel læsa. Periculum eruitur ex impedimenti natura, & causa. Vide §. 89.

Quæ vero simul valde dolet, ut plurimum notat aliquid inflammationis internæ circa cor, in pulmonibus, parietibus thoracis, diaphragmate, abdomine.

§. 160. *Respiratio pessima.*

Difficilis, dolens, parva, celeris, anhelosa, inæqualis, suffocativa, sublimis, exercita omni molimine muscutorum costis adnatorum, indubitato lethalis: est enim maximus pulmonum infarctus, aut ingens ejus compressio. Sed illa, quæ habet plurima eorum vitiorum eo peior est, quo plura eorum secum gerit.

§. 161. *Species variæ respirationis malæ.*

Parva jam notat, vel thoracem non satis dilatari posse, vel alternos pulmonum motus nimis parvos esse, hinc pulmones contractos, aut nimis repletos expansosque teneri; adeoque quasdam causas obstare: aliquid scilicet, quod impedit liberum aeris ingressum per tracheam in pulmones; pulmonum spasmos, rigiditatem, tumorem, obstructionem; humoris alicujus collectionem in cavitate thoracis;

im-

impedimentum in motu costarum, diaphragmatis, &c.

Atque magis læsa respiratio denotat, causas easdem majori numero concurrere, vel eas magis crevisse; & his respondet vitæ periculum.

Ergo pejor est parva & simul celeris. Multo pejor & cito lethalis parva cum sibilo stertoroso, ac fervente quasi pulmone & gutture.

Brevi lethalis quoque suffocativa, ægro sensum suffocationis creans; nisi talis sit ex causa spasmodica leviore, ut in hysteriis & hypochondriacis; vel consueta plane, ut in asthmaticis.

Rursus lethalis est sublimis, quæ fit cum claviculis elevatis, sterno agitato, motis scapulis, pinnis narium anhelosis, costis inferioribus & abdomine valde agitatis.

Nec minus periculosa evadit, quæ in suprema parte thoracis exercetur; pulmonem jam vehementer repletum, vel diaphragmatis, hepatis validas inflammationes indicans, &c.

Frigida etiam lethalis; utpote fere semper nuncia gangrænæ viscerum, & vasorum interiorum.

Inæqualis quoque frequenter declarat, proximas vitæ causas periclitari. Adest quando celeritate, vel magnitudine respiratio variat; tum & quando inspiratio, & exspiratio magnitudine, celeritate, vel facilitate inter se differunt: quo pertinet superinspiratio, aeris efflatio, respiratio luctuosa.

Magna & rara, quæ inter expirationem & inspirationem diutius quiescit, denunciatur in morbis, cerebrum obstructum, atque morbos inde factos jam, vel futuros; ut sunt coma, lethargus, deliria, &c.

§. 162. *Respiratio lenta, magna & celeris; ejus permutationes.*

Lenta quidem demonstrat pulmones liberos, & facilem motum humorum, sed abesse debet molestia, & desipientia: nam ubi dolor per inspirationem augetur, ea sæpe lenta fit; & in morbis capitis designat aliquando cerebri obstructionem, nec raro mutatur in raram.

Magna & celeris, sæpe salutaris; signum & causa, bonæ coctionis, & criseos. Et quæ tempore criseos insurgit, optima.

Est autem permutatio respirationis ex mala in bonam optima, & ex bona in malam pessima.

SIGNA MORBORUM ACUTORUM.

§. 163. *In qua re consistant hæc signa.*

Signa morbi acuti in humoribus nati sunt ejus velocitas & violentia. Hæc duo consistunt in incremento magno celerique symptomatum adeoque in læsionæ functionum cito crescente, vel numero aucta. Ad cognoscendum adhuc certius statum, periculum, & prævidendum durationem & eventum, adjumento est consideratio indolis epidemiæ regnantis notæ; causarum, imprimis illarum, quæ hærent in humorum copia, natura, motu; tempestatis anni, sexus, ætatis, temperamenti, consuetudinis ægroti.

§. 164. *Indicia malignitatis.*

Veræ malignitatis signum in acutis est oppressio magna, pervicaxque vitalitatis in toto corpore, & quidem etiam ab initio, absque alia manifesta causa, ac prius quam in fluidis, solidis, excretionibus, notabilis appareat mutatio. Hæc oppressio se prodit ingenti virium totius corporis prostratione; debilitate pulsus & respirationis; omnium sensuum languore, ac internorum sæpe jam aliqua perturbatione; linguæ glabritie, mollitie, extenuatione; & similibus. Consulciunt diagnosin pariter causæ quædam notæ, nonnunquam præsentes, vel

cor-

corpori applicatæ, ut morbi epidemici maligni, pestis, certa venena.

Quin & alii morbi acuti, suis consuetis symptomatibus stipati, habent aliquid malignitatis adjunctæ, quando virium dejectio major est quam ratione symptomatum ipsorum esse deberet,

Ceteri morbi quantumvis vehementes, crudeles, pertinaces, cum nomine malignorum iudicantur, confusionem idearum pariunt.

§. 165. *Quæ præsens periculum in acutis recludunt.*

Signa, quæ magnum periculum in acutis ostendunt, & majore, vel minore numero in variis ægrotis occurrunt, maxime hæc sunt sequentia. Resistencia pertinax contra omnia genera remediorum. Sitis inextinguibilis. Siccitas, sordities, albedo, flavedo, fuscus color, nigredo, maxime cum crustis, in ore, naribus, lingua, faucibus, palato. Appetitus integre deletus. Nausea perpetua, ingens, abominabilis. Vomitus assiduus. Singultus. Dolor, & anxietas valida circa stomachum. Rejectio sincera per vomitum, feri, bilis, putridi humoris. Alvi dejectio sincera, liquida, fætida, non levans, valde debilitans, fibras, carunculas, membranas ferens, Urina valde tenuis, rubra, spumosa, parca, sæpe reddita. Sudor frigidus, viscosus, guttatus, circa caput & col-

collum, non levans, fœtens. Pulsus celer, debilis, durus, inæqualis, intermittens. Respiratio citata, anhelosa, impedita, tufficulosa, dolens, sublimis. Mentis alienatio, delirium, furor, insensibilitas. Somnus nullus, turbatus, non levans, laborem faciens, aut perpetuus. Sanguinis excreatio, ejus miſtus, aut per alvum exitus. Stillæ sanguineæ paucæ & atræ ex naribus. Tremores insoliti linguæ, labiorum, manuum. Convulſiones validæ. Anxietas. Affidua jaſtatio membrorum, capitisve. Decubitus ſupinus. Propendentia pedum a lecto quaſi neglectim; ut & horum nuditas ægro non percepta. Oculi ſponte lacrymoſi, triſtes, vagi, fixi, ſicci, pulverulenti. Inſciis exeuntia excrementa. Collectiones floccorum, atque palpationes ſollicitæ, laborioſæ. Maculæ purpureæ. Criſes nec integræ, nec levantes. Mutationes in inſolita quæque.

Ex abſentia horum ſignorum, morbi acuti judicantur natura, vel arte ſuperabiles; & contra.

§. 166. *Objecta & ſigna prognofeos. Quæ materia morbi cruda.*

Quo plenius adhuc præſens morbi ſtatus, futurusque retegatur, diligenter obſervanda ſunt objecta & ſigna prognofeos. Hæc vero ſunt Cruditas, Coctio, Criſis, Eventus.

Cruda vocatur materia, quæ morbum excitat, sustinet, vel auget. Isque status dicitur cruditas morbi, sive tota massa humorum infecta, sive una modo pars tali materie obfessa sit: quod idem de solidis, quatenus vitio humorum ægrotant, verum est.

Cruditatis signum est morbi vigor durans, vel increfcens, & hic cognoscitur ex symptomatibus permanentibus, vel assiduo auctis, hinc ab exercitio functionum adhuc perinde, aut magis læso; ab humorum circulantium degeneratione; a recessu secretionum & excretionum a statu sano quoad copiam & qualitatem.

§. 167. *Quæ vis immutans crudum; quæ materia cocta, coctio, hujus signum.*

Causa mutans crudam materiam in coctam est actio vitæ superstes; immutatio spontanea ejusdem materiæ; virtus medicamentorum auxilians.

Materia sic devicta, ut non ulterius morbum sustinere queat, cocta nominatur. Hæc etiam mutatio vocatur coctio, maturatio, pepasinus. Est autem coctio tum evidens quando morbi symptomata, morbusque ipse constanter minuuntur, & tandem brevi disparent; functiones, secretiones, excretiones ad statum sanum redeunt; viresque constant, aut etiam jam increfcunt.

§. 168. *Quid resolutio; quæ optima sanatio.*

Materia morbi eousque cocta, ut evaserit salubri simillima, appellatur resoluta; & actio hæc dicitur resolutio, quæ est sanatio perfectissima, absque ulla evacuatione contingens; supponens materiem benignam, optimam naturam, bona medicamenta.

§. 169. *Coctio evacuans, eaque triplex. Materia critica. Perturbatio critica. Symptomata critica. Crisis. Qua morbi die fiat crisis. Distinctio symptomatum criticorum.*

Altera species coctionis est quæ manifestam evacuationem materiæ morbosæ molitur. Fit interdum evacuatio sensim ut aliquid coquitur, & ad exitum evadit aptum.

Interdum tota materia morbosâ maturescit eodem tempore, & absque turba in aliis partibus corporis excitata, statim expellitur, morbo feliciter evanescente: quod contingere debet cum materies illa tali loco hæret, ut mobilis reddita non in circulum redeat, sed sine ambage in vias excretorias exeat.

Frequenter vero materies illa hærens, alicubi, cocta jam, & mobilis facta, quam ideo *criticam* appellant, non excernitur immediate, sed transit in venas & ad cor, indeque per
to-

totum corpus diffusa, rudior tamen adhuc aut acrior quam ut vascula sine difficultate, insoliteve stimulo permeet, protinus perturbationem, quæ *critica* dicitur, in humorum motu, & quidem sine nova causa morbi manifesta, facit, unde confestim nova symptomata, merito *critica* dicta, oriuntur diversa, quorum primaria sunt: stupor, somnolentia, sopor, delirium, vigiliæ, nox molesta, anxietas, dyspnœa, rigor, dolor, æstus, sitis, tenebræ, splendor, lacrymæ, nausea, tremula agitatio labii inferioris, & similia. Hæc symptomata clare demonstrant, morbum nunc mutari, sed eventum adhuc dubium esse: hinc totum tempus, quo fiunt illa, nominatur *crisis, judicatio, tempus judicatorium*. Tam diu durat crisis quamdiu perturbatio: hac finita, finitur & illa; nam judicium peractum est, patet enim eventus mutationis. Igitur crisis recte dicitur subita morbi acuti mutatio in sanitatem, morbum alium, mortem, quæ fit a materie critica mota.

Ut autem morbi materia vario tempore indiget ut subigatur, ita crisis citius vel tardius contingit. Verum quo coctio citior, eo melior; & quo melior coctio, eo securior crisis. Nec interest utique, quo die crisis fiat dummodo perfecta coctio præcesserit, coctio enim omni die bona est. Solere tamen crisis omnem bonam incidere in diem 4, 7, 9, 11, 13, 17, 20, & maxime in 7 & 14, jam antiquitati certum fuit. Estque etiam alter sæpe alterius subsequens index.

Cum

Cum vero criseos omne momentum in observatione perturbationis criticæ vertatur, omnino cavendum est sollicite, ne symptomata critica confundantur cum symptomatibus a causa morbi, morbo ipso, crudave materie natis: quod ei difficillimum non est, qui decursum morbi non ignorat. Nam oriuntur *subito, sine nova morbi causa; dum vis vitæ superat vim morbi; coctione prægressâ & suis signis manifestâ; ac brevi, vel illico priora morbi symptomata levant.* Longe aliter se habent symptomata nova morbi; hæc oriuntur accedente nova morbi causa, maxime in cruditate, vel augmento, dum vis morbi magis obruit vim vitæ, citoque nocent.

§. 170. *Evacuationes criticæ; per quas vias fiant; sunt variæ; crisis perfecta evacuans; mala.*

Prosperè crisi succedente, statim post finitam perturbationem, aut adhuc illa durante jam quædam conspiciuntur evacuationes, v. g. vomitus, sputum, salivatio, diarrhæa, urina copiosior, sudor, fluxus sanguinis ex naribus, utero, vasis hæmorrhoidalibus. Vocantur criticæ. Variant pro ratione materiæ morbosæ, partis affectæ, ætatis, temperiei, imo sexus, regionis, tempestatis anni, constitutionis epidemicæ. Si sint constantes usque dum tota materia morbosa sit eliminata, dicitur crisis perfecta evacuans: morbus sublatus est, vires incrementum, & functiones redeunt ad statum sa-

sanum. Si vero natura superetur in ipsa perturbatione, tum materia morbi neque excerni, neque ex massa humorum separari potest; adeoque mala crisis est, & interitum parat ægrotanti.

§. 171. *Metastasis, permutatio morbi in alium morbum, quomodo prævideatur futura, quomodo advertatur fieri, interna, externa, in qua parte.*

Quando materia critica, quæ pristinam sedem deferendo, perturbationem excitavit, in aliquam partem recipitur multa, vel tota, hoc vocatur metastasis, crisis metastatica, quæ est permutatio morbi in alium morbum. Prævidetur futura, cum perturbationem sequitur levamen priorum morbi symptomatum, sine ulla, aut non satis copiosa, vel non satis constante evacuatione; maxime si scitur, quod morbus propria indole soleat metastasin facere. Et jam fieri docent symptomata recens comparentia, ut partis alicujus stupor, gravitas insolita, tensio, rubor, calor, titillatio, pruritus, punctura, dolor, tumor, pulsatio, incipiens functionis cujusque læsio. Ex iisdem signis cognoscitur interna, externa; & locus, quem materies incipit obſidere.

§. 172. *Quæ metastasis bona, quæ mala.*

Utplurimum metastases, & laboris & tædii multum pariunt. Bonæ sunt tamen, quæ
tali

tali loco, & tam integre contingunt, ut tota materia morbosa queat evacuari, nullo inde notabili vitio remanente. Sed utique damnosæ, sæpeque priori morbo periculosiores sunt, quæ sedem figunt in cavis corporis, visceribus, cavo cranii, oculis, auribus, &c.

§. 173. *Quid peculiare sit in quibusdam acutis, quæ per efflorescentias metastasin moliuntur ad cutis superficiem.*

Aliquid tamen exceptionis est in quibusdam febribus acutis, ut in variolosa, morbillosa, quarum causa proprius fomes est, qui sua plane natura producit exanthemata. Fomes ille nec coquitur nec mutatur, quippe qui morbum eundem in alios homines propagat: nec perturbationem vere criticam ciet, aut ciere potest: sed irretitus idem manet, donec humoribus, vasisve, certo modo mutatis, ad superficiem corporis evolvatur.

Neque fomes petechiarum, & miliarium mutatur, nam intro reversus eundem morbum resuscitat, augetque. Erumpunt autem hæc exanthemata modo sine ulla perturbatione critica, & sine evacuatione notabili: modo evacuationibus materiæ coctæ comitantibus aut subsequenter; & modo vera perturbatione excitata. Incidere prior casus videtur quando fomes ille fere solus, sine alia multa materia, ipsum morbum facit: posterior quando major alia causa adjuncta, v. g. magna humorum

morum degeneratio jam ante facta, vel nunc vi miasmatis illius nata, morbum maxima parte constituit; hæc enim cocta debet evacuari; & sicubi multa substitit, rursus mota perturbationem criticam excitat. Ex his intelligitur, quare hæc exanthemata quandoque totum morbum fere sola tollant; quandoque plus minus levent, aut nec mutant quidem, aut iis jam evanidis morbus pergat; & quare morbus interdum levis, interdum gravissimus sit; pluraque similia.

§. 174. *Quid crisis symptomatice; morbus recidivus.*

Crisis, expletis conditionibus requisitis contingens, sive bene sive male cedat, symptomatice dici nequit. Igitur symptomatice, magis olim quam hodie sic dicta, est proprie subitum augmentum symptomatum & morbi; quod in cruditate sit, præsertim cum materies alicubi hærens, suum locum cruda adhuc deserit subito. Non facit evacuationes aut metastases, nisi malas; auget morbum, debilitat ægrum, & sæpe præcipitat cito.

Morbus vero recidivus est relapsus in eundem morbum, ponens ergo causam eandem denuo præsentem esse. Frequenter accidit, cum aliquid de materia prioris morbi crudum remansit in corpore, & in eodem inveniens adhuc similem dispositionem, incipit eodem quoque modo agere. Postrema hæc

invasio plerumque periculofior est priori morbo.

§. 175. *Quæ inſuper ſigna ſpem faciant, quæve periculum oſtendant.*

Uterior prænotio designans eventum morbi fundatur præcipue in cognitis vitæ viribus quæ ſuperſunt, & in cognita morbi caula naturaque.

Robur vitæ cognoscitur ex conditione cujuslibet functionis ſuperſtitis: quod enunciatur binis his axiomatibus:

Quo functiones plures magis ſimiles ſunt iisdem functionibus in ſanitate fieri conſuetis, eo vis vitæ major & melior, eo-que plus ſpei ad ſanitatem perfectam recuperandam.

Quo autem ſalubrior eſt in ægro functio illa, a qua plurimæ aliæ pendent, eo pariter res ægri magis in vado.

Tandem etiam cognoscitur vitæ robur ex ætate, ſexu, temperie, vita, natione, familia ipſius ægri.

Vis autem & magnitudo cauſæ morbum patientis cognoscitur ex notis cauſis magnis, malignis; ex genio noto morbi regnantis; ex copia & vehementia ſymptomatum; ex muta-
tione

tione magna qualitatum sensibilibum, quoad figuram, molem, colorem, consistentiam; ab excrementis valde recedentibus a sanis.

Periculi magnitudo spectatur etiam excessu magno, quo causa morbi superat causam vitæ. Sed duratio mensuratur ex tarditate, qua morbus tendit ad acmen, debilitate vitæ, pertinacia materiæ.

Causis istis ad amissim consideratis, fit prædictio per hæc axiomata.

Si causa vitæ in ægro longe efficacior quam causa morbi, tum æger brevi integre sanabitur.

Si causæ vitæ & morbi æquales efficaciâ præfigitur discrimen, duratio, alius morbus.

Si causa morbi longe efficacior causâ vitæ, sequitur mors vel totius, vel partis.

HYGIENE.

§. 176. *Munera hygienes.*

Docet hygiene quemadmodum sanitas servari queat. Ejus vero tria munera sunt, nempe conservare sanitatem præsentem; morbos in temperie ut in semine latentes, & facile

cile excitandos præcavere; vitam disponere ad longævitatē.

§. 177. *Quomodo sanitas conservetur, aer optimus, aeris emendatio.*

Ut sanitas est aptitudo in corpore ad exercendas actiones perfecte & sine incommodo, sic quo perduret, requirit necessario, ut in eodem statu solida fluidaque serventur. Huic scopo, quoad ejus fieri potest, satisfacit justus sex rerum non naturalium usus.

Aer maxime gravis, serenus, purus, temperate calidus, siccus, habetur saluberrimus. Ideo loca aprica, ruralia, leni vento perflata, a litoribus maritimis, fluminibus præsertim sæpe exundantibus, lacubus, paludibus, ustriis remota, aptissima sunt tuendæ sanitati.

Corriguntur etiam, maxime in domiciliis, qualitates aeris frigidæ, humidæ, calidæ, siccæ, & vires multorum corporum in eo contentorum, modo multiplices: v. g. emendatur frigidus & humidus, igne accenso, & per ligna sicciora, & aromatica nutrito; halitu aromatum sponte, vel igne fragrantium; vento calido admissio, vel arte excitato. Calidus, & siccus emendatur contrariis, exhalatione scilicet dispersæ frigidæ; aere novo admissio, vel vento artificiali; expiratione halituum aquosorum ex plantis frigidis aquæ immis-

missis, ut sunt salix, populus, rosa, sambucus. opulus, morus, &c.

§. 178. *Cibus optimus.*

Cibus in genere censetur optimus ille, qui simplicissimus est, parum fœculentus, non nimis evanidus, nec nimis oleosus, sed blandus, & sano corpori nostro jam admodum similis, sive talis a natura comparatus, sive arte culinaria ad eam indolem præparatus sit. Rudior tamen fœculentiorque convenit hominibus robustis, valde exercitatis, cito & bene digerentibus. Levis, mollis, aut jam chylo diluto similis necessarius est debilibus, sedentariis, otiosis, difficulter digerentibus. Acri nimio conditus cunctis nocet sanis, falso appetitu per stimulum excitato gravat, generat acrimoniam, impedit nutritionem, corpus consumit.

Est copia cibi optima cuique, quam sequitur sensus refectiois, non torporis. Debilibus tutior est sobrietas major: levem excessum robusti facile ferunt.

§. 179. *Potus optimus. Quid alimentorum usu providendum.*

Aqua frigidula, pura, levis; sanis ac robustis hominibus potus saluberrimus est. Fallit optime sitim, diluit & eluit acria, expedit circulationem efficacissime. At si stimulo

mulo sit aliis opus, tum cerevisæ ad defœcationem asservatæ, ut & vina blanda, fragrantia profunt.

Sed quoniam humores hujus illiusve hominis naturaliter inclinant ad indolem acidam, alcalinam, pituitosam, inflammatoriam, &c., opus erit in cosuetum & præcipuum usum vocare maxime cibum & potum illum, qui talem proclivitatem prohibet.

§. 180. *Quæ regula motus corporis, somni, medicamentorum, cutis purgandæ, animi affectuum.*

Corporis motus ad primum usque exortum lenissimi sudoris, vel usque ad sensum incipientis lassitudinis, post initia saltem coctionis, cum sensu levitatis, optimus est. Unde & quietis regula pendet.

Somni tempus, quando corpus sanum torpet. Optima ejus mensura agilitas corpori, dum evigilat, nata.

Omnia medicamenta, vel evacuantia, vel acria, cujuscunque tituli, vitanda omnino sunt, nam sanus mutatione non indiget.

Sed purgationes cutis externæ per frictions, laturas, balnea, fomenta, natationes, deterfiones, egregie profunt.

Animi autem affectus non sunt omnino suppressendi, sed neque excitandi nimis: in primo casu torpor oritur, in secundo turbantur actiones corporis.

§. 181, *Est tamen singulare quidpiam observandum de quibusdam hominibus.*

Insuper est nonnullis inserta hominibus quædam idiosyncrasia latens, & tantum per casus incidentes patens, quæ tantam vim habet, ut non ferant quod plerique ferunt, vel ferant quod plerique non ferunt.

Efficat etiam ipsa consuetudo, ut homines non tantum vario, sed & plane opposito sex rerum non naturalium usu fani vivant; & contra, si vivendi rationem permutent vicissim inter se, mox ægrotent. Imo fert vix credenda; sive spectaveris effectus aeris, cibi, potus, motus, medicamenti, veneni; sive consideraveris reliqua.

Quam ob rem mutatio subita a consuetis in nova, est ubique quam maxime periculosa: licet ex malis vulgo habitis in bona putata transiverit.

Longe optimum est, sensim mutando, sæpe variare vitam quotidianam, atque nullam nimic consuetudinem contrahere.

§. 182. *Prophylaxis. Quid inprimis considerandum.*

Iisdem præceptis, quæ de sanitate tutanda, tradita sunt; igitur provido rerum non naturalium usu, maxime nititur ratio præcavendi futuros morbos in temperie tanquam in semine latentes; quod Prophylaxis appellatur.

Ac primo quidem diligenter inquirendum, in quos morbos hominem prædisponat sua temperies, ætas, sexus, munus, opificium, labes hæreditaria; quibus aliis causis externis obnoxius nunc sit, aut post, futurus. Nam sic usus sex rerum non naturalium institui poterit, ut occurrat illi prædispositioni, & tutum adversus causas inevitabiles hominem præstet. Quandoque tamen, si hæ res non sufficiant, si non satis adhiberi queant, alia in auxilium vocanda sunt remedia ad inhibendas corporis malas mutationes, vel producendas necessarias.

§. 183. *Quid maxime frequenter juvet, cum jam adsunt signa brevi futuri morbi.*

Simul ac ad futurorum morborum signa deprehenduntur, eorum causis occurrendum est. Primaria vero remedia prophylactica hæc sunt: abstinencia, quies, potus aquæ calidæ, deinde blandus & aliquandiu continuatus motus usque ad initia lenis sudoris, tum postea
somnus

somnus largior corpore bene tecto : his enim crassa diluuntur, vasa laxantur, noxia excernuntur. Creberrimorum enim morborum originum causa est incipiens nimia spissitudo humorum, insolita vasorum angustatio, imminuta perspiratio, aut morbifica quædam humoribus admista materia, quæ adhuc expelli potest,

Ea quoque causa quantocyus auferenda est, quæ corpore externe adhæret, vel in primis viis continetur.

§. 184. *Caute mutanda vestimenta hyberna, debetque diætæ & motus corporis anni tempestatibus accomodari.*

Neque est aliud, quod plus defendit corpora contra vim causarum externarum, quam si quis verno tempore tarde minuat vestimenta, rursumque cito augeat autumnali tempore.

Eodem etiam facit quam plurimum moderamen diætæ simplicibus descriptum & paucis regulis his ; æstate conducit levis, mollis, laxans, humidus, lenis, ex oleribus, fructibus, lacte, jusculis ; cum potu copioso aquoso, vel admodum diluto ; & cum motu corporis leniore, vitato omni violentiore.

Hyeme prodest victus gravis, durus, siccus, aromate vel sale acrior, caro assa, panis plus coctus ; cum potu parciore vini
me-

meraci; & cum motu corporis validiore plus exercitato.

Vere & autumno victus moderandus media quasi inter æstivum & hybernum temperie; considerando simul in quodnam horum temporum plus, minusve inclinaverit.

§. 185. *Diata ad longævitatē. Quæ remedia longævitatē maxime promittant, quæ causa longævitatis.*

* Illa remedia, quæ sanitatem conservant, & morbos præcavent, ipsa rursus potissime sunt quæ longævitatē promittunt, dummodo quæ ad sanitatem firmandam necessaria sunt, non usque in abusum adhibeantur. Si quidem longævitatis causa est permanens conditio corporis apta ad exercendas functiones; quæ ipsa suum fundamentum habet in idoneo robore & agilitate solidorum, præsertim in sufficiente numero vasorum perviorum, & debita copia humorum bonorum.

§. 186. *In quibus jam initio magna spes futuræ longævitatis fit, quid curandum vel vitandum usque ad ætatem adultam.*

In iis jam longævitatis futuræ spes major est, qui ex parentibus sanis vegetisque nati sunt, corpore sano, bene conformato, robusto.

Cura omnis ab ætate prima usque in adultam eo spectare debet, ut corpus bonam suam fervet figuram, debitum incrementum & robur, hinc sanitatem firmam assequatur.

Ab infantia pueritiæque tractatione, quæ tamen passim & turpiter negligitur, vel male intelligitur, fere pendet futura corporis conditio. In hac ætate prima summe corpus indiget cura munditiei, ac libertate ita ut nec fasciis, nec aliis rebus constrictum vel compressum sit, alimentis & facillimis & multum nutrientibus, somno quam plurimo, frequente & cauta gestatione, ambulatione; sensim deinde majori corporis motu, alimentis solidioribus. Nec postea nimis cito, vel nimium vocare debet negotiis feriis. Hæc enim & in ætate tenera, & in adolescentia, cum excedunt, corporis ac mentis incrementum impedire solent. Et quo quis etiam intemperantius in juvenili, virilique ætate tractat graviora negotia, eo maturius ex solidorum concretione, siccitate, rigiditate sibi accersit, incommoda senectutis. Nihil vero plus ad sanitatem retinendam, & longævitatem consequendam confert, quam pro cujusque libitu constitutum genus vitæ degendæ.

§. 187. *Quid in ætate virili, quid in senectâ faciendum.*

Ubi jam æquilibrium inter solida & fluida natum est, unica spes vigoris diu retinendi

di fita est in hoc: debet tardari vasculorum concretio, omnium partium siccitas, rigiditas, contractura; iustineri circulatio libera per omnia vasa; tum & servari debita humorum bonorum copia. Horum autem præsidium in exercitationum diætæque iusto moderamine consistit. Neque methodo tamen vel optima vitam in annos adeo numerosos producere quisquam potest. Nam eadem causæ, quæ hominem perduxerunt ad virile robur, pergunt jugiter agere, & necessario sic corpus exsiccant sensim, densantque, ut deletis vasis minoribus, sola majora circulationem adhuc, sed debilem sustineant, & vitam, ut crebro videre licet, fere sine actionibus animalibus sustentent, donec & ipsa tandem præ rigiditate quiescant quoque. Sic se habet quæ vere mors senilis appellatur.

§. 188. *Quid auxilii amen in senectâ.*

Ingravescente ætate prodest major adhuc laborum curarumque moderatio; alimentum plane humectans, digestu facile, multum nutriens; usus balnei calidi, emollientis; somnus longior, & moderata corporis exercitatio. Eadem in effæto senio servanda; sed omnia proprius ad pueritiæ infantiaque regimen redire debent. Ad excitandos sensus tamen, ceterasque actiones, opprime conducunt variæ species vini mollis, edentuli; similesque liquores blandi, suaves; balnea ex aromaticis gratis, non nimis acribus.

§. 189. *Mutationes radicales factæ per acria fundentia, non valde longævitatem promittunt.*

Receptæ curationes morborum per virtutem argenti vivi, vel per decocta attenuantia, siccantia, sudorifera, disponunt quidem interdum corpus ad expulsam inveteralcentis, & instaurationem novæ vitalis materiæ, sed multo frequentius accelerant senectam. Hoc igitur ad faciendas mutationes radicales titulo vitæ prolongandæ, ex industria suscipiendum non videtur. Ætas vegeta non indiget: fenilis autem fundentibus acribus ferendis non est idonea.



THERAPIA GENERALIS.

§. 190. *Quid therapia, & remedium, quid designet delectum remedii. Indicans, indicatio, indicatum.*

Therapia est ea pars institutionum medicarum, quæ docet quemadmodum in ipsa curatione ægrorum medicus quatuor hæc munera queat absolvere: conservare vitam; tollere causas morbi; ipsum morbum; & effectus morbi.

Ut quatuor hæc perficiantur, corpus ægri arte mutari debet. Id omne, quo mutationes necessariae excitantur, remedium vocatur, vel medicamentum, instrumentum.

Oportet autem examinare, quid in quoque ægroto singulari mutandum sit; deinde quo remedio id præstandum; & quinam effectus applicationem remedii sint secuturi.

Ex illis vero signis per examen erūtis quibuscumque colligitur illud, quod quia medico detegit eam ipsam rem, circa quam ars laborare debet ad tollendum aut præcavendum morbum, vel aliquid conservandum, vocatur Indicans. Quod ex indicantis consideratione concluditur faciendum, dicitur Indicatio. Illud quod adhibetur, ut fiat quod jubet indicatio, appellatur Indicatum.

§. 191. *Quam varium indicans; quo quodvis tamen revocetur. Quid hic nomine naturæ & virum intelligatur; efficacia vitæ minima.*

Indicans valde multiplex invenitur. Nam tale est quicquid in eodem homine, vel circa eum præsens, præteritum, futurum deprehenditur, quod prædicto modo docet medicum. — Tamen qualecunque sit, revocari potest ad vitam in ægro superstitem, ejus causas, naturam, sequelas, gradus; ad morbum, ejus causas, indolem, sequelas, symptomata. Ut suam ideam brevius exponant medici, sæpe vitam, ejusque causas & effectus uno nomine *Naturam* appellant. Et quæ supersunt actiones in ægro, tanquam reliquiæ sanitatis prioris, ac effectus vitæ præsentis, vocantur *vires ægri*. Illæ vires pendent a motu humorum per vasa, qui motus ad minima possibilis reductus, saltem adhuc ponit circulationem per cor, pulmones, & cerebellum; in quo consistit ergo vis minima vitæ.

§. 192. *Quæ sint indicationes principes.*

Therapia, seu generalis medendi Methodus, quatuor exhibet indicationes principes. Sunt *indicatio vitalis, seu conservatoria; prophylactica, vel præservatoria; curatoria, vel therapeutica; palliativa, quæ & mitigatoria, & urgens.* Est *indicatio vitalis*, quæ requirit vitæ conservationem, vel ejus restitutionem in integrum: *prophylactica*, quæ jubet causam corrigi vel auferri, positam priorum effecto: *curatoria*, quæ præscribit morbi curationem: *palliativa*, quæ præcipit curationem vel mitigationem eorum symptomatum, quæ magis urgent quam ut differri queant donec morbus sanatus sit.

§. 193. *Quæ norma his singulis indicationibus satisfaciendi. Quid, si sint contraindicantia.*

Quando sunt plures indicationes in eodem ægroto præsentibus, videndum est, quæ promptiorem opem poscat, & quo remedio possit ei satisfieri. Id percipitur ex attenta consideratione vitæ præsentis & morbi, & ejus sedis, horumque causarum & effectuum.

Oritur tamen difficultas cum simul adsunt *contraindicantia*, ut v. g. si augmentum circulationis collapsa vita desideraret, & huic indicationi contrarium esset hæmorrhagiæ periculum imminens ab aucto motu; aut cum *re-*
pugnans-

pugnantia sunt, v. g. pleuritis adhuc indigeret venæ sectione, sed corpus jam fanguine viribusque exhaustum abhorret ulteriorem, & indiget opposito. Clarum autem est vocabulum *Contraindicantis* sufficere.

Igitur ubi tales indicationes & contraindicationes occurrunt, habenda quidem possibilis omnium ratio, sed ei maxime satisfaciendum est, quæ magis urget. Huc etiam faciunt, sequentia axiomata.

Causa curans per remedia morbos est vita superstes, & propria cuique temperies; illa deficiente, iners medela.

Ergo ubi æque aut etiam magis urget indicatio vitalis, quam alia quælibet, erit tum temper satisfaciendum priori.

Juvantia, & nocentia præcipue indicant. Natura gaudet consuetis, ægre fert insolita quæque.

In maximis malis cito & semel tentanda summa remedia.

In mitiori malo sensim & repetendo danda remedia leniora.

INDICATIO VITALIS.

§. 194. *Quando, & quomodo juvandæ vires vitales. Nutrientia.*

Vires vitales indigent auxilio, cum non sunt pares morbo ferendo vel superando. Eri-
guntur remedio nutriente, vel adstringente, vel proprio nervino blando, vel stimulante.

Nutriens necessarium est si vires corpo-
ris ex defectu humoris nutrientis, & valorum inanitione fatiscunt.

Delectus, præparatio, copia, & exhibendi
tempus & ordo, convenire debent ægri viri-
bus, ætati, temperiei, consuetudini, tum præ-
sertim morbo, & symptomatibus, ac similibus
rebus quæ circa ægrum sunt.

Condimenta ex sale, saccharo, aceto, mel-
le, &c. excitant appetitum, qui sæpe deficit,
& digestionem adjuvant.

Tantum alimenti dare oportet, quantum
requirit scopus indicatus, dummodo facile di-
geratur, nec in aliis visceribus, vel in humo-
rum circulo quidquam oriatur incommodi.

Quo debiliores sunt vires corporis, eo
leviora & digestu faciliora alimenta concedi
debent. Fluida ab omni nimia glutinositate

libera, ut panatellæ, juscula, præsertim carni-
um consumta, decocta hordei, avenæ, oryzæ,
emulsiones amygdalinæ, &c. aptissima merito
censentur.

Quanto diuturnior est morbus validus, &
quanto plus sanguinis æger amisit, tanto sunt
imbecilliores vires corporis, & tanto majore
cautela opus est in deligendo exhibendoque
alimento.

In illis morbis, tam chronicis quam acu-
tis, qui digestionem & sanguificationem præ-
pediunt, vel ab assumto cibo, necessario tamen,
exasperantur, danda sunt facillima, penitus
fluida, sæpe, & parva copia, vel talia medica-
menta, quæ vices alimentorum expleant.

In morbis intermittentibus, aut tantum
remittentibus aptissimum cibo tempus est inter
paroxysmos quietissimum.

Juniores, & senes omnium minime sunt
abstinentiæ patientes.

§. 195. *Quando fit opus adstringentibus.*

Vim adstringentium vult indicatio vitalis
quando sunt partes solidæ debiles laxæque,
aut certe ob aliam causam magis coarctandæ
& densandæ; & quando una cum his vitiis
solidorum, humores nimia fluiditate peccant.
Id autem evenit frequenter in hæmorrhagiis,

nimiis evacuationibus aliis; etiam post subitas, & copiosas evacuationes, vel post vehementem humorum expansionem, ubi vasa manent nimis laxa.

Adstringentia fortissima, si ingeruntur ut cito transeant in sanguinem, danda sunt parva dosi, vel magis diluta. Cetera non requirunt tantas cautelas. Delectum facile determinat præsens conditio solidorum & fluidorum, tum indoles & magnitudo morbi.

§. 196. *Quando indicentur nervina.*

Vitalis indicatio poscit nervina quando vitæ debilitatem comitatur languor sensuum, & vera, non autem fallax debilitas muscularis, imprimis si reliqui humores crassiores satis abundant in corpore. Huc pertinent ea corpora, vel eorum quædam principia, quæ suavi odore, similive sapore, blando aut non multum acri, & alia pauca quæ singulari odore tamen non admodum acri, vium infundunt nervis, nec sanguinem exagitant.

§. 197. *Quando indicentur stimulantia.*

Eadem indicatio vitalis exigit stimulantia quoties ex fibrarum inertia motus circularis fluidorum minor est, quam ratio morbi patitur; dum modo viscera & cetera vasa sine periculo motus augmentum sustinere queant; neque humores valde acres sint; neque obstru-

Etiones adsint, nisi forte parvi momenti, vel tales, quæ aucto motu levantur. Sed non raro conditiones adsunt contrariæ, cum tamen motus erigendus est; quod medentis prudentiam in deligendis & præscribendis stimulantibus tanto majorem excitare debet. Ingens numerus eorum, quæ in materia medica recensentur, & eorum diversæ species, exhibent in omni casu magnam facilitatem.

Sæpe etiam indicantur, licet vis vitæ non laboret, sive quod medicus ob alias causas pulsum intendere, sive motum febrilem excitare velit.

Quin & ipsa vitalis indicatio desiderat frequenter plures roborantium species; ut nutriens cum adstringente, stimulans cum nervino, &c. Multa possident istas virtutes conjunctas; & non pauca vere stimulantia nervina sunt.

PROPHYLAXIS THERAPEUTICA.

§. 198. *Quibus occupetur prophylaxis, quid causis fieri debeat.*

Eo prophylaxis occupatur, ut causis occurrat priusquam morbum fecerint, aut earum effectus impediatur, & corpus præmuniatur. Causæ illæ sunt externæ, internæ, in solidis, fluidis. Ma-

xime hic agendum est de causis venenatis. Causa venenum spargens, & corpori, vel atmosphæræ communicans, quantocyus tolli debet, vel corrigi, vel destrui: & id quidem sæpe facile fit.

§. 199. *Quomodo emendetur aer miasmate infectus.*

Aer talis corrigitur vaporibus densis rerum accensarum, vel calefactarum, quæ vim habent oppositam veneno cognito.

Sic vapore aceti, nitri, salis communis, sulphuris, thuris, &c. corrigitur aer alcalinis acribus infectus. Sulphur autem, quia suffocationis periculum afferre potest, cum cautela debet adhiberi.

Vapores alcalini ex cornu cervi, & ex multis similibus, vim habent oppositam acido miasmati.

Expellitur etiam ex multis locis renovatione facta per ventum admissum, vel arte factum.

Potest quandoque talis locus deseri, aut aer arceri.

Similibus fossæ profundæ, maxime fodi-
næ lustrantur. Sæpe tamen solæ bolides
K 2 igni-

igniariæ, pulvere pyrio, repletæ, accensæ, & injectæ locum habent.

§. 200. *Quid faciendum, si quis tali miasmate, vaporeve jam sit infectus, affectus, suffocatus.*

At si jam aer tali miasmate, indolis cognitæ, v. g. putrefacto fætidissimo, cadaveroso, hominem affecit, illico debet mutari vëstimentum; lavari corpus; collui cavum oris, faucium, narium per blanda acidula saponacea; purgari ventriculus, & tubus intestinalis; hauriri copiosum diluens, tepidum, acidulum, diaphoreticum, diureticum; & diæta levior servanda est.

Vapori sulphuris accensi, qui fauces aut pulmones præfocat, quatenus adhuc aliquid in pulmones attrahi potest, optime succurre videtur vapor tepidus, aquosus, oleosus, cui herbæ alcalinæ blandæ adjiciuntur. Similia conveniunt interne quoque, sed majorem alcali vim addere licet, & opiata caute.

Is autem, quem obruit vapor carbonum accensorum, vel lithantracum protinus transferendus est in aerem liberum purum, aspergendusque frigida, fricandus & agitandus vario modo, eique sanguis detrahendus si facies turgeat, aer impellendus in pulmones, enematibus intestina vexanda.

Eodem modo curandi sunt illi, quos acris in locis subterraneis, aut spiritus musti fermentantis oppressit.

§. 201. *Quid agendum sit quando venenum aliquod ingestum est.*

Venenum, si quoddam ingestum est, & adhuc in primis viis hæret, excutiendum est, vomitu, vel alvo citata: vomitu, si in ventriculo remansit: alvo, si transivit in intestina. Sed non parum interest interdum, quo vomitorio, vel purgante id fiat: præcipue cum acris mechanicum venenum est. Neque cum jam inflammatae vel convulseratae primæ viæ sunt, evacuationem oportet esse vehementem, aut sine enervantibus, & copiosis lubricantibus; minime autem vomitoria tunc convenire videntur. Quod si venenum, quacumque viâ, penetraverit in sanguinem, nihil tamen prophylaxis potest, nisi illud expellere, vel enervare.

Indole veneni cognita, sæpe non difficulter invenitur remedium, quod ejus qualitates reddit inertes.

§. 202. *Eorum multa sunt incomprehensa, alia vero satis cognita; quid tamen in cunctis illis casibus egregie medicum adjuvet.*

Multorum qualitas, qua nocent, plane incomprehensa est, nec alio fere modo patet quam per mortem infecti; ut de spiritu foliorum laurocerosi, venenoque americanorum, & pluribus aliis in materia medica enarrandis constat: vel per effectus valde mirabiles; quod ex morfu sepis, & præsteris apparet. Cetera magis cognita sunt, quæ purgant cum violentia sursum deorsumque, inflammant, febrem, & alia symptomata in aliis morbis occurrentia, excitant. Et ex his quidem non pauca, cum rite adhibentur, efficacissima medicamenta sunt, v. g. sublimatus corrosivus: sed quia per levem errorem corpori fiunt insuperabilia, & auxilium æque solers ac vera venena postulant, non inepte huc referuntur.

In plerisque vero casibus, qui sunt de venenis, ita notiones ex ipsa venenorum historia, tum ex scientia mechanica, chemica, & anatomica, haustæ, medicum instruunt, ut perspiciat speciem remedii requisiti, ejus præparationem, applicationem, & dosin.

§. 203. *Quid antidotum, specificum.*

Quæ medicamina valent adversus venena, Antidota nominantur. Specifica censentur præ-
ci-

cipue, quæ venena incognitæ indolis enervant virtute æque incognitâ ac est ipsius veneni qualitas; soloque casu reperta sunt. Eadem antiqui vocarunt Alexicaca, Alexipharmaca, Alexiteria, Theriacas.

Venenis autem a priori cognitis ratio invenit antidota naturæ pariter cognitæ, quæ specifica quoque dicuntur, licet distinctionis causa deberent specifica *rationalia* nominari. Sic varium acidum corrigit vegetabilia, quæ acri rodente virtute sursum deorsumve purgant, dolorem, febrem, inflammationem excitant, vel sanguinem dissolvunt; & illa, quæ non tam acrimonia manifesta quam singulari vi nervis cerebroque insidiantur. Ita quoque alcalino veneno per acidum, acido per alcalinum occurritur. Hinc etiam intelligitur quomodo solutiones acres metallorum, argenti, auri, cupri, mercurii, antimonii, & inde præparata corpora sicca mitigari queant. Meminisse tamen oportet, metalla, ut plumbum, cuprum, regulum antimonii, &c quæ per se periculosa sunt, suam naturalem vim retinere cum ab unione sua cum aliis divelluntur. Præterea hæc eadem antidota data nimia dosi, valde acria, nec satis diluta, vel venenum plane non, vel tarde inventientia, agunt ipsa in modum venenorum.

§. 204. *Antidota communia seu universalia frequentius recipiuntur.*

Alia sunt antidota, quæ quoniam fere ad omnia venena valent, communia nominantur. Hæc longe celeberrima, maximeque necessaria sunt. Siquidem quale venenum ingestum sit, frequenter ignoratur; vel specificum remedium non scitur, aut præsto non est; vel dosis potest esse dubia, periculosa; vel non amplius tempus est utendi tali specifico.

Præcipua sunt: aqua sincera, calidior paululum ipso sanguine nostro salubri, affatim, subito, diu ingesta, injecta, applicata; Lixivium leve ex aqua communi & sapone veneto, simili copia, modo, tempore usurpata; aut aqua simplex saponacea facta cum oxymelle simplici, vel melle, syrupis simili usu adhibita; olea blanda ex seminibus lenibus, pinguibus, farinaceis, vel ex iisdem emulsionibus paratæ, omni modo largiter usurpatæ; juscula pingua; in multis celeribus acetum; opium quando dolores, spasmive periculum augent, vel curæ obsunt. Utique horum delectus pro ratione corporis & veneni quodammodo esse potest.

§. 205. *Quæ remedia requirantur cum venenum penetravit in secundas vias. Quæ cura symptomatum,*

Eadem antidota communia pariter conveniunt, cum venenum humoribus circulantibus admistum est. Id enim demulceri, dilui, & expelli debet. Ut expellatur, necesse est aperire omnia vasa, omnesque vias excretorias, sed præ ceteris vias sudoris & urinæ; circulationem reddere liberrimam, etiam bonam quoad vim, minime tumultuosam; sumere diaphoretica & diuretica subjecto convenientia, ita ut illæ excretiones constanter, nec nimium promoveantur. Eadem de veneno pestis & aliorum morborum intelligenda sunt.

Symptomata sæva, venenorum effectus, juxta doctrinam pathologicam non difficulter reducuntur in suas classes; tumque curari poterunt ac si essent morbi quidam singulares.

§. 206. *Quid juvet ubi venenum vitari non potest.*

Quando veneni applicatio vitari nequit, corpus ab ejus effectu defendi debet, ergo munendum est antidotis communibus, aut etiam singularibus non periculosis. Nihil ut plurimum est potentius adversus vim aeris infecti, quam conservatio circulationis, perspirationisque liberæ, & expeditæ; tum excretio sali-

væ frequentior, & munitio narium negligenterior.

§. 207. *Quæ curatio adversus venenum animalium, præcipue rabidorum, externe applicatum.*

Tale venenum externe cuti applicatum illico studioseque abstergendum est & abludum aqua, vel urina; terra, præsertim paululum diluta, vel luto; lixivio excinere, vel sale, vel sapone. Cum diutius inhæsit, aut profundius delirescit, ita tamen ut extrahi possit, scarificationibus densis pro puncturæ morsive sat profundis aperiri debet pars infecta; atque etiam si vulnus morfu factum fortassis majus sit, tamen incidendus est ejus margo, nam in hoc magis quam in fundo vulneris infedit venenum: deinceps modo mox indicato lavandum ac fricandum est: admovendaque cucurbita, vel alia species vasculi cucurbitam supplantis; id enim utilissimum est, omnium maxime cum non licet satis profunde incidere: postremo vulnus laxè diligendum medicamentis acribus, sæpe renovatis, non adstringentibus; quibus effluxus sustineatur tempore breviori, vel longiori, scilicet pro specie veneni, ac pro conditione vulneris, atque medela maturius aut serius adhibita.

Non raro ligaturæ locis vulnere superioribus cito possunt injici; quæ sunt perutiles. Promptissimum quidem remedium est ustio. vel

amputatio partis infectæ, facta confestim post applicatum venenum: sed raro locum habet. Ustione facta, statim eschara medicamentis emollienda est, & quam cito fieri potest, etiam detrahenda, ulcusque, sicut supra dictum est, tractandum.

Suctum autem, qui quondam Marsis Psyllisque famam peperit, adhibere non licet in multis casibus, sed tantum ubi tale venenum est, quod non nocet nisi cum immediate sanguini admiscetur.

§. 208. *Quæ curatio interna requiratur contra venenum externe applicatum.*

Motus humorum sustentatus vel auctus ita, ut arteriolæ plusculum quam solent, repletæ magis comprimant poros inhalantes, videtur ingressum illius veneni in corpus impedire multum. Et quoniam plerumque ignoratur, nihilne sit introtractum, sumi præterea debent illa antidota, quæ ad illud debellandum idonea reperta sunt, non aliter ac si certo per os ingestum & in sanguinem translatum fuisset. Veneno rabidi animalis opponenda quidem sunt ea, quæ ad hunc scopum in materia medica laudantur: sed quæ felici successu frequentissime probatur, negligenda non est ea medendi methodus, quæ diathesin inflammatoriam præcavet, debitam humorum copiam conservat, vasa aperit, circulationem expedit, diaphoresin & diuresin movet, animum

& nervorum actiones moderatur. Ideo sæpius sola mitissima aquosa, diaphoretica, ut acetum dilutum, juverunt. Verique simile est, acria, ut mercurialia, cuprum, cantharides, sine discrimine adhibita, non nunquam nocere.

Decantata priscis temporibus pene contra omne venenum Dialcordia, Mithridatia, Theriacæ, orvietana, confectiones opiata, & similia, utpote quæ diaphoresin movent, animum, dolores, spasmos sedant, utique laudabilia sunt, sed tantum quatenus eorum vis roborans, calefaciens, & narcotica corpori tolerabilis est.

§. 209. *Quomodo remotæ causæ morborum corrigantur.*

Remotiores causæ morborum, tam quæ per se conspicuæ sunt, quam quæ solum per suos effectus sensibiles patescunt, corriguntur inducæ convenienter mutatione in sex rebus non naturalibus.

§. 210. *Quotuplex vero fit medendi ratio.*

Ex propositis autem prophylaxeos regulis patet, esse rationem medendi duplicem, unam nempe methodicam, alteram specificam dictam.

Methodica explorat accuratissime naturæ cursum, morbique phænomena; morbum, ejus materiem, phænomena, totiusque corporis condi-

ditionem inter se comparat; nihil agit, nihil mutat, nisi quod ex his indicantibus evidenter cognoscit esse faciendum.

Specifica vero dicta tollit causam morbi simpliciter applicando tale quid, quod solo u u novit eo valere, nihil aliud attendens. Quærit ergo nomen mali, & remedium; ut in cura febris intermittentis per corticem peruvianum; doloris per opium; veneni americani per saccharum; veneni serpentum per sal volatile; acidi per alcalinum.

At hodierna doctrina nititur ratione simul & experientia: tantoque potentior est quanto pluribus medicamentis specificis abundat. Sed adhibere medicamenta specifica corpus efficaciter mutantia, sine distinctione conditionum corporis, morbi que, vel evidentium qualium ipsius medicamenti, hoc est agyræ perniciosissimi.

INDICATIO CURATORIA IN MORBIS SOLIDORUM.

§. 211. *Quæ cura vitiosæ cohæſionis.*

Quomodo solidorum elasticitas nimia, rigiditas, siccitas, debilitas, laxitas, contractura, elon-

elongatio, curandæ sint, id abunde docet ipsa eorum causarum cognitio.

§. 212. *Quid in genere curatio unitatis solutæ requirat.*

Soluta unitas generatim requirit suppressionem hæmorrhagiæ; ablationem rei peregrinæ, vel mortuæ, interpositæ inter partes separatas; adductionem earum ad se mutuo, vel prius restitutionem deperditi; quietem non turbatam in hac ipsa adunatione; conservationem in naturali sua humiditate & calore; unionem denique quantum fieri potest naturalem.

§. 213. *Quibus modis sistatur hæmorrhagia.*

Hæmorrhagia per se non desinens reprimitur deligatione vulneris vasa comprimente; medicamentis adstringentibus, coagulantibus, siccantibus; vasorum majorum compressione, abscissione vasis vulnerati; interdum actuali cauterio.

Alia remedia, quæ & internis hæmorrhagiis medentur, sunt aspersio vel perfusio aquæ frigidæ, satis valida, præsertim improvisa; vel eadem frigida applicata; valde refrigerantia hausta; adstringentia ingesta; sanguinis missio; ligaturæ artubus injectæ.

Venæ sectio tantum juvat, ubi sanguinis copia, vel ejus motus minui debet; & cum spes est vasa posse se se contrahere.

Nec utilia sunt adstringentia ingesta, si vasorum contractio per plethoram, aut nimium humorum motum, aut eorundem vasorum nexum cum aliis partibus, impediatur.

§. 214. *Corpora peregrina, quomodo & quando auferenda.*

Corpora peregrina, ut grumi sanguinis, partes mortuæ, glandes plumbeæ, frustra vestimentorum, &c., aut humores in cavitates corporis effusi, educuntur manu, lotionem, suppurantibus, causticis, variis instrumentis, situ corporis, vel ejus partis apto, & quidem per eandem jam præsentem, aut arte factam novam aperturam.

Educenda sunt illico, cum id facile citoque fieri potest; nec hæmorrhagia valde copiosa, nec vulneratus exhaustus est; aut cum ea corpora hæmorrhagiam sustinent, vel augent.

Contra, quæ periculofam hæmorrhagiam inhibent, relinquenda sunt donec aptus apparatus chirurgicus præsto sit, & vulneratus, quod debet in hujusmodi periculo, curaverit.

Et ea pariter, quæ sine læsione vel vehementi distractione magnorum vasorum, nervorum, tendinum, ligamentorum, aut sine exitiosa vulneris dilatatione prehendi vel extrahi non possunt, attingenda non sunt, sed expectandum donec per suppurationem mobilia reddantur; nisi alia ratio forsitan eorum extractionem magis urgeat.

Talia corpora, quæ non inveniuntur, remanent interdum in corpore sine ullo, vel sine magno incommodo; & interdum inexpectato loco citius tardiusve sibi parant exitum.

§. 215. *Quomodo partes separatæ rursus adunentur; ubi statim fieri possit.*

Separatæ partes rursus adunantur & in suo situ retinentur manu, fasciis, emplastris, futuris: & ipsa quidem adductio facilis esse solet quamdiu parum sunt inflammatæ; si vero tument admodum ex inflammatione, ea sæpe prius curanda est, præcipue cum opus est futura. Sic autem adunari debent, ut earum superficies inter se contingant æqualiter: nec fortius constringendæ sunt quam casus postulat: nec sine necessitate futuris utendum.

§. 216. *Si quid deperditum sit; quomodo fiat restitutio; quomodo sit tale vulnus curandum.*

Ubi quid de partibus læsis deperditum est, id restitui debet: hanc restitutionem natura perficit: artificis est, obstacula remove-
re, vim vitalem regere, naturæque suppeditare quod ad ipsius opus est necessarium. Vulnus implendum linamentis mollissimis, interdum, ut res fert, vario medicamento imbutis, æqualiter ubique, sed ita molliter, ut illa compressio circiter cutis vice fungatur.

§. 217. *Quid conservet naturalem calorem, humiditatemque; quid sanationem acceleret maxime.*

Calor naturalis non difficulter remediis tam internis quam externis conservatur. Humiditas etiam conciliatur usu interno externeque humectantium, conservatione debitæ humorum copię, tum defensione ab aere externo. Præterea mire facit ad sanationem vulnerum aer habitationum purus, moderate calidus; tum & rara fasciarum solutio, cum nihil frequentem exigit.

§. 218. *Quid rursus uniat partes separatas, quæ facilius uniantur, quid hæ desiderant externe.*

Quæ quod ablatum est, restituit natura, eadem separatas partes unit. Id citius absolvitur in juvenibus, & sanis, quam in senibus, & cacochymicis. Pleraque vulnera, quæ pura sunt, levia dicta, etsi magna, imo multa alia, modo nihil ablatum sit, nihil aliud externe desiderant quam ut in quiete custodiantur, & ab injuriis externis defendantur; ad quod sufficiens sunt emplastra innocentissima, vel blandissima balsama. Nec quidquam igitur interponendum est labiis vulneris, cum indicatio non est illud apertum servare, aut suppurationem sustinere vel augere.

§. 219. *Quæ curatio ejus in quo deperditum est aliquid. Quid cicatricem maturet,*

Sed si quid absumptum fuerit vel instrumento vulnerante, vel suppuratione, vel arte, jamque vulnus mundum sit, nempe purum ab omni corpore peregrino, vel sanationem impediante, æqualiter ubique & moderate humidum, molle, amœne rubellum, cura esse debet dein, ut se satis, nec nimium repleat priusquam claudatur; lenteque cicatrix inducenda est, ne fœda fiat. Cicatricem vero tardius quam par est, procedentem maturat

turat arctior deligatio, diæta siccior, medicamentum siccans, adstringens admotum.

§. 220. *Vulnera majorum vasorum, nervorum, tendinum, ligamentorum.*

Vulnera majorum arteriarum difficilius coeunt; & aneurismatum sæpe causa sunt. Magnæ arteriæ semidiffectæ, venæ magnæ percissæ, nervi percissi, non confanescunt. Interdum, licet rarius, ad abscindendos multum vulneratos nervos tendinesque cogit vehementia symptomatum, aut etiam alia ratio.

Tendines, qui sunt sub cute, dissectos adunat sutura: sed hæc non est in omnibus necessaria; neque si quid ablatum fuit, adhiberi potest. Inflammatio, si qua jam eorum adductionem prohibet, ante omnia pellenda est.

Articulorum vero ligamenta facile cum incumbentibus membranis glutinantur; & cum valde læsa sunt, raro tam feliciter sanantur, quin maneat læsio motus.

DE CONTUSIONE.

§. 221. *Quid metuendum ex gravi contusione, quid poscat auxilii.*

In plerisque contusionibus externis ut plurimum per se hæmorrhagia quiescit; & quæ sunt leves integumentorum non difficulter sanescunt. Sed quæ magnæ, vel in aliis partibus sunt, minantur putredinem, vehementes inflammationes, nimias suppurationes, gangrænam, ulcera, cariem, aneurismata, & in glandulis scirrhum & cancerum. Resolutionem efficiunt venæsectio; potus multus, aquosus, mellitus; fomenta ex aqua, sale, aceto, urina, vino, plantis falsis, camphora. Cum incipit fieri resolutio, multum discutunt frictiones levi manu factæ; ultimo roborantia. At si magna est inflammatio, interne antiphlogistica cura, externe emolliens indicatur.

•
§. 222. *Quando nulla resolutio sperari possit, & quid tunc faciendum.*

Resolutionem vel discussionem sperare non licet, quando multum est sanguinis coagulati. Satius est, si contusio sit externa, statim incidere tumorem sic, ut & omnis in eo collectus humor educatur commode, & subjectæ partes lustrentur: magis etiam properandum, si metuatur ne periosteum vel os ipsum læsum sit. Ulterior cura tanquam im-

mundi

mundi vulneris esse debet; eritque nimia suppuratio cavenda, quæ hominem exhaurit, & membranas cellulosas consumit.

§. 223. *Si consueta curatio contusis ossibus sanandis non sufficiat.*

In ossium contusionibus, quæ consuetis remediis non parent, plagam ossis mortuam oportet ad vivum scalpro radere; vel æque profunde sed dense forare; vel maxima cum cautela, & patientia, actuali cauterio adurere; eo scilicet utendum, quod optime valet propositum explere; & quod ægrum, si fieri possit, minus terret. Ossium extrema multum contusa perfectam sanationem recipere non solent; sed remanet vitium figuræ, vel mobilitatis, aut etiam fistula,

§. 224. *Amputatio quousque differenda.*

Quamvis membrum aliquod ita contusum sit, ut calore, sensu, motuque careat, plerumque tamen ratio vetat illud amputari, nisi cum frustra prius, quod ars potest, tentatum fuit, & malum constanter serpit,

§. 225. *Quæ curatio hæmorrhagiæ & tumorum a contusione viscerum.*

Viscera contusa frequenter sanguinem fundunt, vel ex eodem congesto intumescunt, & inflammantur. Ad hæmorrhagiam remedi-
um

um est, quod humorum expansionem, copiam, motumque minuit, & vasa contrahit. Tumores dissipat medela, quæ similiter humorum motum, pressionem, ac præterea spissitudinem imminuit, & coagulatum resolvit: ea posita est in venæsectione, & fomentis; in diætâ tenui, medicamentis aquosis, mellitis, salinis, saponaceis, copiose haustis. Ubi vero humores potius frigidi, & corpora inertiora sunt, conducit magis stimulan, acrius salinum, aromaticum.

§. 226. *Vulnera cæsim, vel punctim ossibus inflicta.*

Ossa scissa, punctave, imo abscissa, eadem ratione, qua vulnera partium mollium, curantur; modo partes molles, quæ sunt adhuc integræ, sufficiant circulationi nutritionique. Separata conjungenda sunt, & in situ quietissima retinenda. Nihil interim oleosum non antisepticum illis imponendum est. Omnium maxime prodest deligatio promptissima, & prius adhibita quam partes divisæ siccentur & contrahantur. Ita citius ossium scissuræ quam fracturæ sanescunt. Sola tunc superest amputatio, quando hæmorrhagia superat reliquam artem, vel quando membrum caret nutritione, vel jam emoritur.

DE FRACTURIS.

§. 227. *Quid in omni fractura necesse sit; quando & quæ extensio necessaria.*

In omni fractura necesse est fragmenta in situ naturali conjungere, & in eodem immota continere, quo rursus uniantur, & callo consolidentur; symptomata præsentia abigere, & futura præcavere.

Si fragmenta de loco non cesserunt, illico tantum deliganda firmandaque sunt. Si recesserunt, tum pro magnitudine recessus, magis vel minus extendi debent. Satis extenta sunt quando sine superficieum attritu reponi possunt. Interdum extensio facilis est; interdum plures homines, etiam fasciæ trahentes sunt opus.

§. 228. *Signum bonæ repositionis, modus vincturæ, nota de fasciis, earum solutio.*

Signum bonæ repositionis in artubus est, si dolor dispareat; fractumque membrum, & ipsius consimile sanum æqualia sint figura, directione, longitudineque. Modus vincturæ est, qui ossa contineat in sede, nec tamen humorum circulum opprimat. Ideoque ad hunc usum aptiores sunt fasciæ puræ quam cum emplastris subjectis. Absque necessitate fascias solvere, quando recte tenent, non expedit.

§. 229.

§. 229. *Quæ nimium callum prohibeant. De fractura tendanda.*

Ne callus nimium excrescat, quod præfertim in junioribus evenit facile, prohibentur arctius adstrictæ fasciæ, imposita spiritiuosa, diæta siccior & parcior, purgatio alvina. Ossa vero, quæ minus recte reposita coaluerunt, & jam duro callo ferruminata sunt, non rursus frangi debent, nisi prorsus necesse sit: hæc enim operatio non est minus incerta, quam difficilis, & dolorifica.

§. 230. *Quæ facilius, difficiliusve sanescunt.*

Sanescunt fracturæ citius in ossis parte solidiore quam in ipsius extremitatibus spongiosis: in juniore quam in provectiore ætate: in sanis quam in cacochymicis: in non gravidis plerumque quam in gravidis. Insuper citius sanatur os fractum, quod parvum est: quod cito restitutum: quod toto tempore curationis immotum in sua sede continetur. Hæc quoque in situ retinendi difficultas efficit, ut & fracturæ obliquæ plus laboris creare soleant quam transversæ; & ut sanatio fracturæ acromii, claviculæ, colli ossis femoris sæpius vitiosa sit.

§. 231. *Quæ cura fissuræ habenda.*

Si credatur, vel certum fit, os aliquod esse fissum, id statim secundum artem deli-
gan-

gandum, & quieti dandum est; dolorique medendum, & tumor præcavendus, vel præsens discutiendus. Sed eadem symptomata, vel alia nascentia, tumorque ipse non cedens, requirunt non raro incisionem, ut effusus humor educatur, locus mundetur, atque sic gangrænæ, carieique prævertatur.

§. 232. *Si minora fragmenta, vel festucæ adsint.*

Ex ossis fracti lateribus aliquando diffiliunt instar assularum, vel laminarum, vel festucarum, fragmenta minora. Hæc auferenda sunt, vel iterum cum osse conjungenda. Auferri debent, quæ plane libera sunt, vel certe parum carni, periosteove adhærent. Quæ multum iisdem partibus adhærent, potius relinquenda sunt donec suppuratione separentur. Quæ cum osse multum cohærent, in suum locum reclinari, ibique firmari debent: quia, si non coeant, adhuc eximi poterunt. Illa vero, quæ cum osse cohærent, & in suam sedem restitui non possunt, necesse est præcidere, aut si breviora sint, limare, deinde scalpro lævigare: tantoque magis festinandum si partem mollèrem pungant vel dilacerent; quod & interdum aculei marginis ossis fracti, præsertim in obliqua fractura, faciunt. Itaque debet vulnus partium mollium dilatari si parvum est, vel fieri si nullum externum est. Antequam ossis fracti repositio tentetur, oportet in suam sedem ipsa fragmenta reducere, vel

vel eximere, si cito fieri potest; maxime cum ipsam repositionem impediunt, vel gravibus symptomatibus infestant. Ita quoque prius hæmorrhagia plerumque sistenda est; & tumor cum obest repositioni, vel cum in eadem aliquid affert periculi, discutiendus.

§. 233. *Luxatio cum fractura.*

Cum autem luxatio ejusdem ossis fracturam comitatur, videndum est, utrum luxatum prius in suam sedem reponi possit, & utrum id fieri queat sine notabili damno partium mollium in loco fracturæ: sin minus, quod evenit maxime quando fractura non procul ab ossis extremo est, differendum erit usque post perfectam fracturæ sanationem. Sed tunc difficilis, si non impossibilis est repositio, quia partes molles contractæ difficulter laxantur; & cavitas ossis excipiens, vel caput excipiendum sæpe per id tempus degeneravit.

§. 234. *Curatio symptomatum. Periculum ab ossibus comminutis, & fractura prope articulos, Amputatio.*

Contusiones, vulnera, inflammationes, convulsiones, &c, quæ fracturis sociantur, eodem modo, quo in aliis casibus, curantur. Sed ita ligatura esse debet, ut & perparum urgeat locum, & commode solvatur quoties necessum est. Valida ossium artuum contusio, seu comminutio rarius perfecte sanatur, sed

sed brevius fieri membrum, & ejus læsa manere figura solet. Eædem quoque contusiones & fracturæ, quæ sunt prope articulos, magis quam aliæ creant convulsionem, ulcera, gangrænam, cariem, fistulas. Neque tamen est ante proponenda amputatio, quam constet, nihil naturam, & medicamenta proficere.

§. 235. *Intra quot dies sanentur fracturæ, quod signum sanatarum, quid vitandum.*

Intra viginti, & septuaginta dies sanari fracturæ consueverunt. Sanatarum signum est vera durities calli, & ante fractorum immobilitas cum quis eadem tentat manu movere. Callo non dum penitus indurato nocent quæcumque emolliunt, linimenta, fomenta, balnea.

DE LÆSIONIBUS CRANII.

§. 236. *Quod cranio læso commune est cum aliis ossibus læsis.*

Ossa cranii quo ad se sola spectata, si læsa sunt, eandem curationem exigunt quam alia ossa similiter læsa. Si non per se læsio pateat oculis, cum tamen ex causa applicata, vel ex symptomatibus gravibus perstantibus vel crescentibus conjicitur, os esse læsum,

sc-

secciónē partes molles dividendæ sunt & removendæ. Solum pericranium læsum, modo superficies ossis aere siccata non sit, communiter facile citoque renascitur. At si color ossis mutatus sit in album, flavum, fuscum, aut tandem nigrum, desquamatio fieri debet, parva si de osse parum, multa si multum mortuum est; hoc opus naturæ celerant medicamenta roborantia aromatica, vel spirituosæ antiseptica; atque scalprum, imo tercibellum, potissime quando sanguis in diploen effusus est. Etiam curatio scissurarum & fracturarum eadem est ac aliorum ossium; perindeque cavendum est ne quid applicetur unctuosi, quod facile corrumpitur.

§. 237. *Si quid intra cranium offensum est, si depressa sunt ossa.*

Plus laboris est & periculi, cum intra cranium aliquid est vulneratum, vel compressum, vel effusum. Juniorum ossa depressa restituit lenis pressio manu facta, cucurbita, emplastrum tenax cuti agglutinatum, & habena instructum ut prehendi trahique possit. Si hæc non sufficiant, quia crassiora firmioraque sunt ossa, forte jam nunc poterit elevatorium adhiberi. Vix sine fractura tales sunt depressiones in adolescentibus, minus adhuc in adultis.

§. 238. *De necessitate trepanationis, sive ossa intropressa sint, necne.*

Cum inter ossa hæc fracta, quæ depressa sunt, angustior est rima, quam ut, in eam demitti vectis possit; neque eadem ossa firmiter & penitus immota sustinent adactionem elevatorii: tunc os adjacens, quod firmum est, proxime ad ipsius marginem debet trepano perforari; deinde tenuis ille paries foraminis excidi. Sic poterunt ossa vecte restitui; & eadem opera quoque festucæ, vel alia parva fragmenta, si quædam libera sint, vel effusi humores eximi: si vero dura mater percindenda sit, cavendum est semper ne lædantur ejus vasa majora. Quod si perforato osse, fragmenta, festucæve majores nec dum educi queant, necessaria sunt in una linea plura foramina dense sibi adjacentia, excidendique relictis horum parietes intergerini, ut ex omnibus una sit communis apertura. Ac si sanguis effusus pluribus locis collectus sit, nec in foramen jam præsens exire possit, etiam totidem locis trepano via paranda est. Eademque res est, sive adsit fractura, fissura, scissura, intropressio, vel horum nihil, & sive partes externæ molles læsæ sint multum, vel parum, modo ne tali loco sit sanguis collectus, unde nulla arte potest educi. Cum in icto latere nihil valde læsum reperiretur, fuit aliquando fractura in opposito latere reperta, id igitur in similibus casibus investigandum est.

§. 239. *Quemadmodum hæc ad sanationem perducantur.*

His peractis, superest ut illæ partes sanentur. Primo quidem est cavenda magna duræ matris inflammatio; orbiculusque lineus, cribrosus, & filo tanquam habenula instructus, vel lamella plumbea, orbiculata, tenuis, pluribus foraminulis pertusa & anulis munita debet in foraminis fundum deprimi; dein molli linamento foramen, & quidquid apertum est in osse, ad summum impleri, sed sic, ut ne duræ matris sanatio impedatur, & tamen ejus ingressus in foramen prohibeatur: Linamento quoque labia vulneris munienda sunt: Omnia demum apta deligatione firmanda. Quam sæpe fasciæ solvendæ sint, ostendit natura & copia humoris in foramen exstantis, & quodvis aliud symptoma. Mundantur paulatim latera foraminis, & ex iis repullulant vascula, quæ foramen replebunt, & in substantiam osseam, sed reticularem mutantur. Ideoque prudenter linamenta, aliave medicamenta debent adhiberi, ut vasculorum incremento non officiant, & nihilominus eorum degenerationem in fungum cohibeant. Degeneratio hæc cohibetur aucta paululum pressione, medicamentis roborantibus, siccantibus: facta erodenda est, vel filo valide constringenda, vel subsecanda. Foramine non perfecte, sed fere repleto, sinendum est labia vulneris coire.

Suturæ trepano, quamdiu id vitari potest, attingendæ non sunt. Et omni cura videntum, ne lædantur sinus duræ matris; vel arteriæ sat magnæ, quæ passim tabulam vitream fulcant: in ossibus temporum est summe periculosa terebratio.

Neque convenit nudare vel terebrare cranium prius quam naviter & frustra tentata fuerint deplentia, discutientia, attenuantia, nisi forte certum est, sine trepano non posse malum levare.

DE LUXATIONIBUS.

§. 240. *Repositio luxatorum, indicium repositorum, ulterior cura.*

Extensione levi facile pleraque reponuntur ossa subluxata: ex perfecte luxatis quædam etiam non difficulter: alia tantum plurium adjuutorum, imo machinarum auxilio; præcipue in adultis robustis. Extensio fieri debet in debitam directionem, lentissime, constanter, & solum usque dum os sine affricu, *leniterque* reduci queat, lente pariter remittentibus, qui extendebant. Bonam repositionem sequitur quies symptomatum a compressione distractio- neque natorum; & est membrum ut erat ante luxationem. In situ tranquille continendum est

est donec ligamenta, ceteræque circumjectæ partes confirmatæ sint. Quod magna vi fuit expulsum, sed cito restitutum, intra dies aliquot rursus valet: cautelæ tamen est, ut deligetur, & diutius quieteat.

§. 241. *Luxationes quæ curationi minus opportunæ sunt.*

Luxata & ipso loco alieno conglutinata non possunt reponi, vel in statum sanum restitui: eadem enim, & quoque ligamenta facta sunt inepta.

Non conglutinatorum, sed diu luxatorum repositio difficilis, periculosa, sæpe impossibilis. Remedia tamen emollientissima nonnunquam eam reddunt possibilem; & quæ per se possibilis est, semper faciliorem efficiunt.

Luxationes præ nimia ligamentorum musculorumque elongatione vel laxitate factæ, tantum sanabiles sunt, si partes illæ possunt ad pristinum statum reduci.

Quæ fiunt a degenerantibus ossium extremis, vel ab indurata synovia, sunt insanabiles.

Luxationes cervicis, aliarumque vertebrarum, & pariter costarum, statim excitant urgentissima symptomata; & earum restitutio non minus ardua esse solet quam anceps.

In ætate tenerrima minus ossa franguntur prope a capitibus; sed epiphytes tanto læpius dimoventur, vel e nexu suo excutiuntur. Quod malum crebro & infelicissime negligitur; & in ossis femoris capite raro perfectissimam curationem recipit.

§. 242. *Quæ comitantur, vel sequuntur luxationem.*

Siquando una cum luxatione vulnus est vel hæmorrhagia, curatio desideratur eadem, quæ de fracturis & vulneribus prius indicata fuit. Nec est obicura medela paralyfis, rigiditatis, infenilitatis; quæ post reposita luxata remaneat aliquando. Si forte tumor aliquis articuli ligamentis, vel musculorum tendinibus insidens suppuret, is multo citius quam alibi debet aperiri, ne illæ subjæctæ partes damnum patiantur.

Reliqui solidorum morbi concipiuntur ex communibus medicinæ præceptis; vel plerique pertinent ad morbos ex fluidorum vicio natos.

INDICATIO CURATORIA CORRIGENS FLUIDA.

CORRECTIO HUMORUM.

§. 243. *Diatheſis inflammatoria.*

Curatio morborum, qui conſiſtunt in conditione mala humorum, abſolvitur duplici modo: vel noxios humores corrigendo; vel eosdem evacuando. Ambo modi ſæpe conjunctim adhibendi ſunt.

Diatheſis inflammatoria nimiam humorum denſitatem & tenacitatem, atque cum hauſtis aquoſis diluentibus miſcelam difficilem & imperfectam ponit. Pendet a nimia cordis & vaſorum actione. Emendatur optime, ſi remediis, quæ carent omni ſtimulo, minuatur eadem ſolidorum actio: quod ſumma quies corporis, animique; tum emollientiſſima mucilaginosa, valde diluta, tepida, & quo tantam humorum maſſam diluant ac dividant, *affatim* hauſta, enemate, fotuque applicata, præ ceteris efficiunt. Potiones acidulæ ſaponaceæque ex plantis, arborum fructibus, oxymelle, ſyrupis acidulis, cum ſalibus mediis, ma-

xime cum nitro, potenter agunt in sanguinem illum compactum, non item in causam, quæ compingit: sed ex iisdem & ex blandissimis mucilaginosi exsurgit medicamentum omnibus numeris absolutum.

§. 244. *Ad sanguinem spissum non inflammatorium.*

At si sanguinem spissum segnemque defidia, vitæ sedentaria reddiderit, cum emendant liberalia corporis exercitia, & assumpta medioeriter stimulantia. Sed ex nimis exercitationibus corporis spissus indiget diluentibus aquosis.

§. 245. *Curatio spissitudinis atrabiliaræ.*

Sanguis vero multum atrabiliaris haud facile corrigitur: quippe diluentium admistionem pertinaciter respuit. Adjumenta primaria sunt exercitationes mentis & corporis exhilarantes & temperatæ; cibi, potus, medicamina, efficacissime virtute saponacea & sine magno stimulo solventia. Etiam esse debent eo demulcentiora, quo sanguis acrior est: eo blandiora & humectantiora, quo corpus aridius & rigidius. Gummi ferulacea, & alia similia, ut ut laudatissima, tamen non conveniunt, nisi quando deprehenditur inertia ventriculi, intestinorum, vasorum. Sed mites herbæ saponacæ, vel lactescentes, earum succi expressi, serum lactis, sapo, saccharum album,

mel, & ex iisdem multa præparata, egregie solvunt sanguinis naturam non modo atrabiliariam, sed etiam inflammatoriam, & oleosam.

§. 246. *Curatio pituitosæ tenacitatis.*

Tenacitatem pituitosam emendant illa, quæ & incidunt, & vasorum actionem in humores augent: hinc duriora salia media, salia alcalina, decocta & extracta amara, salinaque, resinæ acres, gummi ferulacea, acria aromata, ferrum, potus acres spirituosus, cibi acris conditi, frictiones, motus corporis.

§. 247. *Si nimia sit fluiditas.*

Nimiæ fluiditati subveniunt modo glutinosa, modo compingentia: glutinosa, ut minus diluta farinacea, gelatinosa, mucilaginosæ, si simul actio vasorum sit minuenda, acrimonia involvenda: compingentia quando vasa quoque sunt adstringenda. Glutinosis interdum adstringentia misceri debent.

§. 248. *Quæ compeſcant nimium motum humorum.*

Nimium autem humorum motum compeſcunt illa, quæ causas ejus tollunt: ergo præcipue corporis & animi tranquillitas; dein quæ dolorem sedant, acrimonias irritantes mitigant, vasa nimis efficacia laxant & obstructa

referant, sanguinem imminuunt & refrigerant, intestina exonerant; vis opiatorum.

§. 249. *Si motus humorum sit nimis debilis.*

Motus circularis debilior quam par est, exigit modo tale remedium, quod solida inertia, minusque irritabilia provocet majori stimulo; aut humores vel crassiores, vel subtiliores restituat: modo quod humorum massam compingat; vel tenacitatem atrabiliarium diluat & dividat; vel spasmos compescat. Utrum autem hoc an illud conveniat, docent signa causæ præsentis.

§. 250. *Curatio acrimoniæ in genere.*

Acrimonia in genere considerata curatur medicamentis diluentibus, obtudentibus, vel & demulcentibus: aqua præsertim; dein omni illo, quod mucilaginosum, vel suboleosum, vel gelatinosum, & insipidum est; dulcibus sæpe. Magna plerumque copia debent ingeri, dumne viscerum & vasorum actiones inde lædantur. Et cum usus eorum longus esse debet, optimum est eadem subinde variare. Decocta lignorum, antimonialia, & similia, in quibusdam acrimoniis naturæ hætenus etiam minus cognitæ ceterum optima, magis attenuante & aperiente virtute videntur acrimoniam illam expellere, quam domare.

§. 251. *Ad acidam acrimoniam.*

Acrimonia acida vincitur usu alimentorum, potuum, medicamentorum, quæ vel plane contrariam naturam habent, vel quæ saltem impediunt ingestorum degenerationem in acidum. Qualia sunt cibaria ex animali regno, oleribus alcalino sale prægnantibus, similibusque condimentis, aromatibus; aqua, non autem vinum, nisi oleosum vetustum; medicamenta absorbentia; sal alcalinum fixum, & volatile, spiritus alcalini, sapo, oleum quandoque; & majores corporis motus.

§. 252. *Ad alcalinam, acrimoniam, & putridam.*

Acrimoniam alcalinam superant cibi, potus, & medicamenta, quæ vel actu sunt acida, vel cito fiunt acida. Sed & sæpe involventibus mucilaginosi indiget: & aliquando tantum acidis dilutis vegetabilibus: aliquando mineralibus acidis.

Eadem in acrimonia putrida pariter indicantur, præsertim acida mineralia, sed & camphora, cortex febrifugus, & varia adstringentia, quæ ut efficacissima antiseptica cognita sunt.

§. 253. *Ad muriaticam acrimoniam.*

Eadem, quæ §. 250 sunt indicata viscida & insulsa, idonea quoque sunt ad acrimoniam muriaticam; maxime tamen aqua bona, quæ simul plus eluit. Aqua calcis celebrata multis, more salis alcalini fixi, quamvis mitius agens, pinguibus magis quam macris utilis esse potest.

Sed cum illa acrimonia scorbutum produxit, videndum est quam spissi, vel jam soluti humores, quamque rigida, attritave vasa, visceraque sint. Nam in his est ingens curationis discrimen: ita quidem, ut modo incidentia attenuantia, modo acidula vegetabilia, vel acida mineralia, ut spiritus salis, & alia hujus generis multum antiseptica ac compingentia, necessaria sint.

Ceterum quæ quotidiana observatione deprehenduntur optima, sunt boni, bene maturi, ac succulenti fructus arborum; herbæ teneræ, succulentissimæ, blandæ, vel acidulæ, vel alcalinæ, aut earum succi expressi; serum lactis, aerque: quippe diluunt, solvunt, urinam augment, & brevi restituunt corpori novos ac sinceros humores.

§. 254. *Ad acrimoniam oleosam, aromaticam, spirituosam.*

Adversus acrimoniam oleosam in humoribus denuo valent antiseptica. Sed valde saponacea debent esse, si hoc oleum adhuc multum tenacitatis habet: eo mucilaginosiora blandioraque, quo magis illa tenacitas destructa est. Neque aliud adversus acrimoniam aromaticam, & spirituum fermentatorum potentius est, quam emolliens blandissimum aqua multa dilutum.

Ex omnibus illis, quæ hætenus exposita sunt, clare patet, uno medicamento multos morbos sæpe tolli, nullo autem omnes. Remedium maxime universale est aqua.

INDICATIO CURATORIA EVACUANS.

§. 255. *Per quas vias fiant evacuationes.*

Morbi materia, vel id quod educendum ars indicat, evacuatur per vias vel naturales, vel artificiales, vel præternaturales. Naturales sunt pori totius externæ cutis exhalantes, nares, os, fauces, trachea, œsophagus, ventriculus, intestina, viæ urinariæ, uterus, vagina: artificiales, quæ fiunt per phlebotomiam, scarificationem, hirudines, vesicantia,
fon-

fonticulos, setacea: præternaturales, ut ulcera, fistulæ, hæmorrhoides.

DE PERSPIRATIONE ET SUDORE.

§. 256. *Quomodo hæc excretio provocetur.*

Perspirationem, ac sudationem provocant paulo major corporis motus, valentius operimentum, locus calidior; vel mitia potentia aquosa calidaque, ut jusculum, infusum theæ, florum sambuci. Haud raro cutis externa debet mundari, laxarique lixivio saponaceo, calido, emolliente, & deterfione leni, ut aperiantur pori, & alliciantur humores. Si humores sint crassiores, attenuandi diluendique sunt; si parum moti, etiam incitandi medicamento acriori ad cutim determinante, aceto multum diluto, infuso sassafras, camphora, decoctis lignorum, sale alcalino volatili, oleis empyreumaticis; opio.

§. 257. *Quando eadem excretio necessaria sit.*

Excretio hæc elici vel augeri debet, cum ad conditionem malam corporis, materiemque morbificam aut morbosam tollendam eadem aptior est quam alia quæque. Probat se maxime adversus symptomata nimium im-

mi-

minutæ perspirationis naturalis, si humores non sint inflammatorii; adversus morbos rheumaticos, arthriticos, epidemicos plerosque, endemicos ex inquinamento subtili, febres intermittentes plurimas, efflorescentias cutaneas fere omnes; adversus morsus venenatos, contagium ægrotantium, putridam cadaverum nephitim, ita & virus venereum si sponte naturæ deponatur in cute; adversus morbos acutos, qui interdum, aut certis temporibus ipsi hanc evacuationem cum levamine moliuntur.

Remedia, quæ tollunt condiciones ad ciendam perspirationem necessarias, ipsa sunt, quæ nimix perspirationi, nimioque sudori medicantur. Quo tamen tædiosa repetitio vitetur, nocentium evacuationum auxilia simul in indicatione palliativa, capite de animi deliquio, proponentur.

DE EVACUATIONE MUCI NARIUM.

§. 258. *Quæ partes per hanc evacuationem exonerentur, quotuplicia medicamenta.*

Hæc ipsa evacuatio non modo nares, & sinus illos, quos membrana schneideri vestit, a mucositate, ceterisque humiditatibus & infectis liberat, sed & omnes pene capitis partes, &
ocu-

oculos, fauces, & tracheam plus minus le-
vat prolecto majori humorum in nares affluxu.
Quæ medicamenta sollicitant eam, *errhina*,
nominantur, sed *evacuantia*; quæ si sternuta-
tionem movent, ptarmica seu sternutatoria
dicuntur. Pertinent ad ea, quæ quia pur-
gant pituitam capitis, in genere vocantur a-
pophlegmatizonta.

§. 259. *Quando indicetur, quomodo exci-
tetur, quando emollientia, vel acria.*

Indicatur in affectibus earundem partium
pituitosis, serosis, aquosis, purulentis, aut
saniosis, ut in ulceribus narium, gravedine,
coryza, catarrho, illachrymatione oculorum,
vertigine, sopore.

Excitatur fotu., vapore, liquido attracto
vel injecto, turenda medicamento imbuta,
pulvere.

Si acri materie turget membrana schnei-
deri, vel multum tensa est, aut dolet, tunc
juvant tepida blanda, aqua pura, mucilago,
oleum mitissimum: si sine dolore & sine mag-
na tensione muco facta est, prosunt medio-
criter acria; & si materia sit valde tenax,
etiam saponaceum vel salinum medicamentum
esse debet. Infecta vix sine injectione, &
valida sternutatione excutiuntur.

§. 260. *De cautela necessaria, & medicamentis, quæ sternutationem movent, & quæ non movent.*

Narium ulcera nuda, siccitas, variæque causæ, reddunt eas partes nimis sensiles; & infantes, ac multi homines pulveri tabaci non assueti, a minimo stimulo citissime multumque sternutant. Id cautelam in delectu & applicatu horum medicamentorum facit necessariam in morbis tum capitis, tum aliarum partium, in quibus sternutatio noceret. Eam non excitat aqua tepida, lac, oleum, blandum, mucilago, raro quoque mel vel saccharum album aqua solutum: excitant, quæ acriora sunt, ut sal commune, & ammoniacum, item plantæ & aquæ aromaticæ, aut quæ multum salis volatilis habent, tabacum, &c.

DE SIALAGOGIS.

§. 261. *Excretio humorum ex partibus internis oris.*

Muci, salivæ, aliusve humoris perspirantis excretio ex oris glandulis, membranis, ductibus effectu circiter evacuationi mucii narium par est. Medicamenta eidem promovendæ servientia, sialagoga dicta, ad apophlegmatizantia quoque pertinent: adhibentur forma vaporis, collutorii, gargarismatis, ma-
sti-

sticatoris, aliquando injectionis: pro re nata, debent esse emollientia, detergentia, irritantia. In quibusdam morbis tam acutis, quam non acutis jam adsunt signa, ut major & spontaneus salivæ affluxus, aphthæ, glandularum intumescencia, tensio, aliquis insoliti caloris aut irritationis sensus, vel indoles certi morbi cognita, quæ docent, salivationem & necessariam, & sustinendam esse: tunc si humorum massa nimis spissa sit, eadem aptari debet decocto multo diluente & solvente.

§. 262. *Salivatio mercurialis, quomodo excitanda, quid attendendum.*

Ubi cito, & vehementer totam humorum massam attenuare, & efficacissime vasa omnia, omnesque vias excretorias aperire volunt artis periti, quod adversus venenum caninum, venereum, ac nonnullos alios morbos inveteratos & pernicaces identidem contingit, utuntur mercurio tanquam medicamento certissimo.

Hic autem sic adhibitus, ut prædicto modo solvat, rarius per sudorem, vel diarrhæam evacuat humores, sed in glandulas salivales eos determinare, & veram salivationem excitare solet.

Tumque humores reddit acres, rodentes, & foetidos; oris fauciumque glandulas
&

& membranas nonnunquam distendit in tumorem suffocantem; excitat febrem & sitim; deturpat corporis habitum; emaciat & debilitat maxime.

Cum igitur res non urget adeo, nihil nimis dosibus præcipitandum est; eo minus quod multi homines valde proni sunt in salivationem.

Dum apparent signa salivationis imminenti, os emolliente mitique liquido calido colluendum: eadem procedente, si qua lædat acrimonia, partes oris demulcentibus collutoriis defendendæ: parum mercurii adhibendum, & tantum ut pro lubitu sustineatur fluxus; illoque abstinendum si hic æquo sit abundantior, & alvus interdum cienda: ægro blanda emollientia, antiseptica copiose toto hoc tempore potanda: aliquid opii dandum si diarrhæa forte adjuncta quoque vires auferat.

§. 263. *Quanta salivatio esse debeat, quomodo terminanda.*

Sæpissime desideratur tantum levissima nec incommoda salivatio, non quod ipsa morbum tollat, sed quod ostendat, mercurii sufficientem effectum in humores & vasa; & satis est, eam talem esse donec scopus sit expletus.

Verum ad debellandam lucem veneream radicatam statuerunt, salivæ tres etiam quatuor libras quotidie, & quidem triginta sex diebus continuis ejiciendas esse: sed & modus tanti tormenti, si id necessarium sit aliquando, prudentius ex ægri viribus, symptomatibus, & emendatione morbi, definitur.

Finis salivationis esse debet, quando scopus, quatenus salivatione fieri potuit, expletus est. Idcirco mercurii usus omittendus; fluxus lente supprimendus, aut sinendum est, eum sponte cessare; oris partes ulcerosæ paulatim roborandæ, ut sanentur. Huic indicationi satisfacit aer frigidulus, potus temperate frigidus blandusque, simile collutorium, vel tandem mite adstringens.

DE EXPECTORATIONE.

§. 264. *Tollenda sunt obstacula, vel augendus humorum motus.*

Ut expediatur expectoratio, debent obstacula eam impediencia tolli; vel actio vasorum & humorum augenda est. Obstacula sunt pulmonum obstructions, rigiditas, spasmi; imminuta costarum, & vasorum aereorum mobilitas; humorum tenacitas pituitosa, inflammatoria, atrabilaria. Atque secundum
has

has cognitiones deligenda sunt medicamenta. Est incitanda circulatio si nimis langueat: languet autem in multis debilibus, dein in phlegmaticis & senibus.

DE VOMITU NECESSARIO.

§. 265. *De indicatione vomitoria, & signis eam ostendentibus, atque horum distinctione ab aliis fallentibus.*

Vomitus censetur necessarius, aut purgationi alvinæ præferendus cum illud, quod expellendum est e ventriculo, vel citissime debet ejici, vel facilius tutiusve hoc modo ejicitur, vel per inferiora non potest expelli. In febribus intermittentibus, paralyti, epilepsia, mania, &c., excitatur aliquando vomitus, ut corpus de statu præsentis dimoveatur, vitæ obstructions & infarctus dissipentur, vel sudor multus exprimat.

Signa, quæ vomendi necessitatem declarant, sunt nimia ventriculi repletio; continua ejus inflatio cum pectoris anxietate; in eo sensus frigoris, & gravantis ponderis; lente deletus appetitus; ructus, nausea, vomitio spontanea, nec sufficiens; oris amaror, sordisque; notitia talis corporis ingesti; indicium corporis noxii conspectum in materie rejecta; notio morbi epidemici levamen ex vomitu recipere soliti.

Sed advertendum est sollicite, ne quædam ex iisdem signis confundantur cum similibus, quæ procedunt ab inflammatione viscerum, cerebrive; ab eorundem viscerum excrefcentiis; & tumoribus; ab herniis, alvo adstricta; a læsionibus cerebri, spasmodica affectione, graviditate, calculis biliariis, & urinariis.

§. 266. *De iis, quæ inter vomitiones, vel ante facienda sunt.*

Inter singulas vomitiones optimum est, aquam bibere tepidam, pauco melle, saccharo, vel syrupo saponaceam factam, quo facilius vomatur, & ventriculus detergatur. Mox ante vomitum aliquam præparationem requirunt corpora, quæ virtute mechanica partes inter vomendum lædere possent; tum & illa, quæ copiosa nec satis fluida vomitum difficilem aut irritum redderent: ad priora convenit lubricans oleosum; ad posteriora, dilutio. Ubi vero cietur vomitus ad agitanda omnia in corpore, obstructionesque solvendas, in multis casibus non alienum erit, prius aqua, vel apto decocto vasa admodum implere. Præterquam in talibus casibus, vix opus est interna præparatione. Firmatio abdominis vana non est; herniarum semper necessaria. Vena quoque secanda, si quid ab incitato per vomitum motu humorum timendum est.

§. 267. *De vomitu mitiori, irritatione gula.*
 ☉ *aqua tepida.*

Violentum vomitum vetat major irritabilitas multorum hominum; innata, vel acquisita facilitas vomendi; necessitas, vel fixa sententia vitandi vehementiores corporis concussus. Mite, sed tamen verum vomitorium parvis ac repetitis dosibus ingestum, excitat vomitus leniores, & longius inter se distantes; bene ventriculum repurgat; vix non semper movet alvum, & felicius quam cetera cum purgante jungitur.

Faucium irritatio, licet eam aliquando casus comprobet, ut plurimum non sufficit hominibus illis, quibus difficulter vomitus excitatur; & in faucibus, œsophagoque periculum gravium dolorum ac inflammationum affert, præcipue repetita sæpius.

Aqua tepida, insulsa, affatim hausta, pariterque olea unguinosa &c., sine alio vomitorio excutiunt vomitum facile nauseantibus, non autem aliis, & interim anxietatem intolerabilem faciunt.

§. 268. *De indicatione promptorum vomitoriorum, tum vehementium.*

Indicantur prompta vomitoria quando id, quod est in ventriculo, citissime debet expelli: vehementia quando corpus violenter concu-

tien-

tiendum est; & quando deficit irritabilitas, ut interdum in hydrope, mania, &c.

§. 269. *Ubi vomitus periculosus sit.*

Quædam vitia corporis, ut dispositio ad apoplexiam & hæmorrhagiam, plerique morbi capitis & oculorum interni, viscerum inflammationes & suppurationes reddunt vomitum periculosum: si vitari non possit, tanto major cautela adhibenda est.

§. 270. *De vomitu sufficiente, & de sistendo eodem.*

Vomitus ad liberandum ventriculum excitatus, hoc obtento fine, sufficit: tunc disparent symptomata; & materia ultimo rejecta nihil amplius vehit de illo, quod rejiciendum erat. In aliis casibus ejus continuatio, & iteratio determinatur ex præfixo fine. Desinit sponte sua; sin aliter conveniunt demulcentia, grata roborantia, antispastica, vel aliquid opiatum.

DE PURGATIONE ALVINA.

§. 271. *Utilitas purgationis alvinæ.*

Purgatio alvina repurgat primas vias; eliminat morborum materiam; educit superfluos

fluos humores aquosos; derivat ab aliis partibus; mutat præsentem corporis statum. Multo frequentioris usus est, quam vomitus.

§. 272. *De signis indicantibus necessitatem ejusdem.*

Signa, quæ communiter docent, alvum esse movendam, sunt ventriculi saburra appetitui ciborum digestionique noxia, vel nauseam, morsum, singultum, aliave symptomata creans; comperta præsentia ingesti corporis cujuscunque, quod celerius expelli debet; abdominis inflatio, tensio, durities, tormina (modo ne simpliciter a spasmiss, aut a viscerum obstructione vel inflammatione, vel herniis &c. oriantur) alvus obstructa vel segnis, vermes, interdum ipsa diarrhæa; aut alvus biliosa, putrida, urens, pituitosa; morbi materia sponte in tubum intestinale exsudans, vel utiliter arte in eundem derivata; morbi cerebri, oculorum, aurium, faucium, ab earum partium vasis nimis turgentibus, aut interdum ab acrimonia nati; morbi materia in aliquod viscus, vel aliam partem internam confluens; temperies aquosa plenior; necessitas inducendi mutationem in morbis rebellibus.

§. 273. *De purgatione eccoprotica, consueta, drastica.*

Eccoprotica purgatio evacuat illud quod in primis viis contingitur, sine notabili stimulo,

lo, sine magno humorum ex vasis allectu, sine corporis alteratione: continuata dicitur epistralis.

Est consueta purgatio dum intra horas aliquot alvus quinquies, etiam usque octies excernitur, copiosior, liquidior, cum stimulo manifestiore, & vasorum depletionem majore.

Drastica purgatio multo vehementius aggredditur intestina, multo copiosior est, & cito exhaurit.

Quænam autem ex his præferenda sit, docet conditio hominis sani, ægrotantis, & morbi. Juniores, & seniores, & debiles, & qui parum humoris aquosi habent, minime profundam ferunt. Eo mitiora purgantia danda, quo vividior sensu & irritabilitate corpus utentis præditum, & quo minus turbandum vel mutandum est; & contra.

§. 274. *Quid præterea circumspiciendum, vel agendum sit in eorum usu.*

Feces alvinæ congestæ, siccæ, immobiles, prius potu aquoso mucilaginoso, aut potius oleoso, similibusque enematibus lubricandæ molliendæque, & dein potione tantum leniter purgante movendæ sunt; interdum mercurio dividendæ. Corpora valde acra, ut & mechanica acuta etiam oleo mucilagineve lubri-

cari, & quoque leni purgante propelli debent. Spasmi purgationem impediunt aliquando, qui opio solvendi sunt.

Investigandum est porro cujus indolis sit materia, quæ debet evacuari, an biliosæ, putridæ, oleosæ, acidæ, tenacis, pituitosæ: nam inde patet, esse danda purgantia acidula aquosa, acidula saponacea, alcalina saponacea, acidum absorbentia, vel acria salina, resinosaque?

Vi purgantium acrium excitata hypercatharsis sedatur usu blandissimi mucilaginosi, oleosi, gelatinosi, aromatisque grati roborantis & antispastici; tum opii.

§. 275. *De alvi motione per enemata, & horum vario usu.*

Enemata evacuantia distinguuntur pro causa, quæ postulat eorum usum, & pro consilio medici. Opportuna sunt emollientia si fex multa duraque in intestino collecta haret immobilis; acria, si debet cita multaque evacuatio sequi, cita magnaue revulsio fieri, sursum prævalens motus intestinorum rursus deorsum cogi, apparens mortuus excitari; mediocriter acria, si ex intestinorum debiliore motu, segnior alvus, vel his repetitis ea tantum liberior servanda est.

Sunt quoque perutilia quando sine periculo purgans ore suscipi non potest; & quando ægroti non possunt deglutire, vel deglutitum revomunt. Quæ vero injiciuntur eo fine ut intus retineantur, sive nutriendi, sive corporis intestinive medicamento muniendi causa fiat, debent acrimonia carere, parvaque esse; & non raro opium adhuc eis adjiciendum est.

§. 276. *De alvo cienda vi suppositoriorum.*

Alvum provocant suppositoria, intestinum irritando mechanicè, vel acrimonia sua. Possunt esse simplicissima, vel composita. Ad exonerandum hoc intestinum sufficiunt, cum aggestæ feces sunt mobiles. Suppositoria non admittit ani dolor, inflammatio, ulcus, contractio spasmodica vel ex tumentibus hæmorrhoidibus. Sed ad provocandas hæmorrhoides non sunt inutilia.

DE DIURESIS.

§. 277. *Quando diuresis promovenda sit.*

Diuresin augendam vel restituendam esse ostendunt sequentia in ægro reperta: urinæ per renes secedentis copia minor quam par est; aquæ nimia copia in humorum massa; hydrops incipiens, vel confirmatus; pus, aut acrimonia

nia salina, biliosa, saponacea, scorbutica, in humoribus; arenulæ, lapilli, pus, sanies, mucus collectus, in renibus, ureteribus, vesica, urethra; & ubi ipsa etiam natura expulsionem materiei morbosæ per has vias molitur.

§ 278. *Si urina vitio solidorum, vel fluidorum non satis abcedat.*

Sæpe nihil aliud peccat quam inertia vaporum, & pituitosa humorum indoles, & renum similes obstructions: quæ plerumque facile tolluntur usu medicamentorum aromaticorum, amarorum, salinorum, ferri, &c.

Nec minus patet quemadmodum renum obstructions inflammatoriæ spasticæ, calculosæ, curandæ sint.

§. 279. *Quando sit augenda aqua in humoribus ut diuresis magis procedat.*

Augenda est in humoribus nostris pars aquosa quando acrimoniæ, aliave ante memorata corpora, non satis diluta sunt, vel non tanta potest urinæ copia moveri, quanta requiritur ut eluantur eadem materiæ, & mudentur viæ urinariæ. Præter aquam communem, vel decocta tenuia toti corporis statui, vel & adjuncto morbo accommoda, huc quam plurimum faciunt dilutissima acidula, ut succus citri, vinum acidulum, serum lactis acidulum, aqua selterana, &c.

§. 280.

§. 280. *Quæ causæ faciant ut aqua sanguinis extra vasa colligatur; quæ cura hydropis.*

Quicquid efficit, ut humoris plus dimittant interna vasa exhalantia, quam recipiunt inhälantia, id ejusdem laticis in corpore retenti collectionem præternaturalem facit, adeoque paulatim hydropem, eumque sicut est ipsa causa, universalem, vel particularem.

Causæ sunt obstructions renum; inertia diutina solidorum, præsertim vasculorum exhalantium eorundemque erosio ab acrimonia, vel ulcere; indoles humorum nimis soluta aquosa, vel purulenta; excretiones suppressæ, ut urina, perspiratio; tum quæ humoris exhalantis resorptionem impediunt, ut nimia flacciditas partium, quæ sustinent venulas imbibentes harumque compressio a tumoribus, vel alia quavis causa; compressio venarum majorum; plethora adeo vasa sanguifera replens, ut venulæ bibulæ non possint se in majores exonerare.

Hinc patet, rationem seligendi remedii non esse difficillimam; & sola illa medicamenta posse vere antihydrica censer, quæ tollunt ipsas causas.

Sed raro sanatur perfecte hydrops natus ab obstinata induratione vel alia degenerazione glandularum, viscerumve; ex abusu longo
po-

potus spirituosus; ab erosione chronica vasculorum exhalantium.

In illis vero speciebus hydropis, quæ corpus exsiccant, sitim, aut etiam febrim faciunt, eximia sunt solita diuretica lenia, saponacea, ex multo melle constantia, quoniam simul resolvunt & aperiunt egregie.

DE MENSTRUIS, ET LOCHIIS.

§. 281. *Qua ætate fluxus menstruus erumpat; quid si serius, aut ex debilitate prodeat.*

Menstruus sanguinis fluxus ex utero solet anno 14, 15, 16 ætatis, interdum tamen serius tardiusve, & quidem copiosior, vel parrior erumpere. Oritur a plethora universali, vel uterina sola. Demit sanguinem in corpore feminino non gravido superabundantem. Igitur tardius comparens, arte non est extorquendus quamdiu sanitas inde non læditur; imo prodiens ex debilitate vasorum uteri, dum in reliquo corpore sanguis potius deficit, noxius est.

§. 282. *De signis instantis ejusdem fluxus.*

Signa docentia hunc instare fluxum, sunt ætas supra dicta, & sanguinis abundantia major, apparens ex insolito æstu, pulsu, faciei rubedine majore, tensione caloreque lumborum, pelvis, cervicis, dolore capitis, vertigine, dyspnœa, languore corporis, vomitu, hæmorrhagia narium, pulmonum, &c. Hæc symptomata numero modo majori, modo minori, perinde fluxum ipsum sæpius passas, atque primûm passuras vexant. Attamen in non paucis etiam sine sensu prodit.

§. 283. *Quando sit remedio opus.*

Si hi naturæ conatus irriti, vel symptomata periculosa, vel nimii laboris sint, succurrendum est secundum causas fluxum prohibentes: quæ sunt languor circulationis; humorum spissitudo, ac tenacitas densa, pituitosa, atrabilaria; uteri nimia durities, ejus obstructio ex humore quocunque; plethora uterum opprimens, spasmus; concretio vaginæ. In nullo casu tam frequenter quam in hoc feminæ abutuntur venæ sectione, balneisque.

§. 284. *Utilitas & ordo lochiorum.*

Fluxus lochialis liberat uterum ab humoribus tum per graviditatem aggestis, tum partus effectu productis: defectus ejus est cau-

causa frequens abdominis postea tumidi, degenerationis uteri, sterilitatis, cancri.

Mox a partu copiosus est, totusque cruentus: brevi post multo parcius, minus ruber, sæpius thrombosus: post dies aliquot quasi sanguine, mucosus, pureque mixtus: deinde sensim aquosior, & tandem parcissimus; sic ut in plurimis intra quindecim dies, in aliquibus multo citius, & in nonnullis tantum spatio trium etiam quatuor hebdomadarum finiatur. Ita procedens sibi relinquendus est.

§. 285. *Quæ causæ hunc sistunt, quæve ipsum initio periculosum faciant.*

Sed hunc fluxum sæpe sistunt humores parum fluidi, inflammatio uteri, spasmi, refrigeratio, cibi, potusque acidi, vel alio modo adstringentes. Medicamentorum genera quidem obscura non sunt, sed aliquando frustra.

Si vero nimis copiosus continet sanguinis fluxus, eductis secundinis thrombisque, erunt ejus causæ nimia uteri, ipsiusque vasorum laxitas, humorum tenuitas nimiusve motus, plethora, aliarum partium spasmi. Uteri contractionem adjuvant lenes compressiones abdominis manu factæ, admota aqua frigida, injectiones frigidæ roborantes. Cetera vide §. 311.

DE SANGUINIS EVACUATIONE PER PHLEBOTOMIAM.

§. 286. *De utilitate phlebotomiæ.*

Venæ sectio citius quam alia cuncta remedia tollit plethoram quamcunque, densitatem nimiam sanguinis, duritiem pulsus, impetum febrilem, nimium calorem, dolores a simili causa natos; hinc in obstructionibus inflammatoriis efficacissima est; & confestim facit revulsiones.

§. 287. *In quo casu facilius feratur excedens sanguinis missio.*

Dum sanguis in toto corpore quammaxime inflammatorius est & vehementi febre urgetur, non raro venæ sectiones immodicæ necessariæ sunt: eas autem tolerabiles reddit ingens tum vasorum in contractionem nisus, obstructio prope universalis, retentio humorum in majoribus vasis.

Sed in inflammatione topica, etiam gravissima, præcipue viscerum, sæpe pulsus nec tam durus, nec tam celer est, & ægri minus facile ferunt largas venæ sectiones cito frequenterque iteratas quantumvis necessarias: verum non quid pulsus ceteræque vires postulent, sed quid in tanto periculo admittant, perpendendum est.

§. 288. *De phlebotomia in hæmorrhagiis, tum etiam interdum ante usum remediorum stimulantium, & ante quasdam operationes chirurgicas.*

In hæmorrhagiis internis utilis est missio sanguinis, sed tantum quando vasa talia sunt, & ita libera, ut imminuta copia distendente, se ipsa penitus coarctare queant. Utilis est quoque in hæmorrhagiis externis ex vulneribus, ulceribusque, si deligatis partibus, vis sanguinis urgens impediatur sanationem; & ante usum remediorum, quæ prævia depletione neglecta, periculosum sanguinis æstum concitarent; sic & ante magnas operationes chirurgicas ubi multum sanguis abundat, & ejus parum sub eadem operatione fundetur.

f.

§. 289. *De abusu phlebotomiæ, & effectibus inexpectatis ejus etiam sine abusu.*

f.

Perversus usus venæ sectionis enervat corpus, inducit languorem, frigus, cacochymiam, hydropem; in morbis vero multis adimit facultates, quæ morbum superare, & materiam evacuare debent. Sed etiam indicatissimam, & quidem solum in prophylaxin adhibitam comitantur sæpius vel mox sequuntur effectus inexpectati varii, maxime defectio animi, vomitus, alvi urinæve excretio, sudor.

§. 290. *Quæ præparatio necessaria aliquando; in qua parte, in quibus venis, & qua cautela sit incisio facienda.*

Quando vena non satis tumet, cutisve nimis dura est, prodest locum incidendum emollire fomento, unguento, balneo; & levi manu fricare. Variis quidem locis instituitur venæ sectio, ut in collo, manu, digitis, sed communiter in brachio, & pede. Selligi debet vena libera, magis apparens, adeoque facilior: incidenda est lanceola, acie optima, oblique, solummodo quantum opus est ut sanguis non filatim, nec guttatim, sed libero & sat pleno rivo profluat, igitur vitando ne ipsa percindatur, neve arteria, vel nervus, vel tendo aliquis lædatur.

§. 291. *Si deliquium animi interveniat venæ sectioni.*

Cum animi deliquium venæ sectioni plene peragendæ impedimento est, æger inter eam cubare debet, & aquam frigidulam, vel vinum, vel acetum ore continere: si nec dum ferat requisitam, interrumpendus est per vices ipse sanguinis fluxus compressione venæ,

DE SANGUINIS EVACUATIONE PER FLUXUM HÆMORRHOIDALEM.

§. 292. *Unde fiant hæmorrhoides; quæ earum causæ.*

Hæmorrhoides cœcæ, fluentes, pendent ab his vasis naturaliter imbecilibus, vel vi debilitatis, vel obstructis, & turgentibus. Causæ talis conditionis, quæ non sunt insitæ, reperiuntur in plethora, æstu sanguinis majore, alvo dura adstricta, dysenteria, aliove stimulo ani diutino, vita sedentaria, obstructione viscerum præcipue hepatis, lentiore motu sanguinis per venam portarum, graviditate, partu, equitatione, abusu spirituosorum fermentatorum, cibus aromate nimio conditis.

§. 293. *An hæmorrhoides sint salutares; quid boni præstent; quando non sint provocandæ.*

Memoratae causæ luculenter demonstrant, hæmorrhoides effectum esse status morborum, & tanquam morbum juxta suas causas curari debere. Sed in consuetudinem versæ, si quocunque modo supprimantur, dum causa superest, sæpissime tam mira & periculosa symptomata suscitant, ut quantocyus revocari debeant. Evacuant sanguinem in vasis hæ-

mor-

morrhoidalibus, imo in variis partibus abdominis congestum ex tardiori humorum motu per ramos venæ portarum; & interdum materiam morbosam in aliis casibus. Itaque provocandæ non sunt hominibus non assuetis, & qui non habent hujus modi congestiones.

§. 294. *Quibus remediis provocentur, & aperiantur.*

Provocantur emollientibus unguentis, fomentis, vaporibus, acris suppositoriis, ingesta aloë. Tumentes, si per se non fluant, nec adhibitis laxantibus aperiantur, fricandæ sunt asperiore charta bibula, pannove, nisi dolor id vetet; vel tandem utendum hirudinibus, aut scalpello; maxime scalpello si valde duræ sunt, & sanguis in iis concretus est. Purulentæ factæ, si diu tenent, facile gignunt fistulas.

DE SANGUINIS MISSIONE PER SCARIFICATIONEM.

§. 295. *Quomodo hæc differat a venæ sectione; quæ sit ejus utilitas.*

Scarificatio, hoc est, multitudo parvarum incisionum in aliqua cutis plaga factarum, interdum etiam profundiorum, qua discinduntur innumerabilia vascula, perinde sanguinem

nem fundit ex arteriis & venis: hinc juvat in affectionibus topicis a nimio humorum impulsu, vel ab eorum aggestione natis; tum etiam valet ad revellendum, præsertim si fiat proxime ad locum affectum; & ubi demum venæ sectiones vel non sufficiunt, vel institui non possunt. Igitur eo fit animo, ut sit loco venæ sectionis; vel ut sanguis ex aliqua parte ipsa mittatur, vel ab eadem abducatur. Ex iisdem conditionibus determinatur copia sanguinis mittenda; inciditur in uno vel pluribus locis; & cucurbitæ admoventur, vel omittuntur.

DE SANGUINIS EDUCTIONE HIRUDINUM INTERVENTU.

§. 296. *Hirudinum utilitas, applicatio.*

Scarificatio facilius & citius quidem absolvitur, & sanguis ex pluribus vasis fluit: sed hirudines diversis locis, ut ano, temporibus, circum aures, & quando æger renuit scarificationem, conveniunt. Locus destinatus prius mundandus est; & aqua tepida cum saccharo, vel lacte humectandus. Hirudines non avellendæ, sed relinquendæ, donec sponte desistant; aut sale, cineribus, aliove acri pulvere conspergendæ, ut remittant morsum. Quo plus sanguinis subtrahi debet, eo plures admovendæ sunt, vel ipsis cauda ressecanda.

Dein-

Deinde sanguine subsistente, partibusque deterfis, si dolor permaneat, leniendus est imposito medicamento.

DE HUMORUM EVACUATIONE PER SETACEA, ET FONTICULOS.

§. 297. *Quid setaceum, quæ virtus ejus.*

Setaceum est vel fasciculus ex filis laneis, sericisve, vel tæniola linea, quæ acu lata ancipitique per cutem, potissimum nuchæ, digitis elevatam trajicitur, & in vulnere relinquitur, atque quotidie, vel sæpius agitur, aut protrahitur, & interdum adhuc acri medicamento oblinitur, ut ulcere nato humor alliciatur & fundatur constanter. Juvat in diversis morbis capitis, oculorum, &c. & frequenter olim fuit adhibitum; vix autem præstat vesicanti, quod minus incommodum est.

§. 298. *De fonticulo.*

Fonticulus est parvum ulcus arte productum in cute usque ad membranam cellulofam penetrans, quo humor attrahatur & emittatur. Scalpello fit, vel cauterio actuali, magis tamen potenciali; & innocuo emplastro tegitur. Imposito postea minutulo corpore, ut piso, aut etiam interdum unguen-

to digerente servatur apertum; mundatur quotidie semel, vel sæpius; & cavetur ne occal-
 leat, aut nimium inflammetur, neve minus
 vel plus humoris mittat quam oportet. To-
 lerabilior est setaceo, pluribusque corporis
 locis fit: sed vitari tamen debent magna va-
 sa, magni nervi, tendines musculorum, ipsi-
 que muscoli. Ceterum & ejus nunc minor
 usus est quam olim.

DE EVACUATIONE REVULSI- ONEQUE PERVESICANTIA, ET SINAPISMOS.

§. 299. *Vesicantium effectus.*

Vesicantia ab effectu dicta, emplastrique
 forma applicari solita, ex variis acribus non
 adstringentibus, sed ex cantharidibus maxime
 parantur.

Eo loco, cui applicantur, cutem & ner-
 vos irritant, humorum motum in eum locum
 incitant, & sanguini particulas acres immis-
 cent; sic vim vitalem, animale, circulatio-
 nem, calorem excitant, ac humores frigidos
 pituitosos potentissime attenuant. Quæ vero
 sunt ex cantharidibus, sæpe faciunt ardorem
 urinæ, difficultatemque mingendi, præsertim
 in temperamentis minus aquosis.

Ex-

Excitato majori humorum affluxu ad locum cutis irritatum, epidermis in vesicam humore plenam attollitur: quod intra horas 8, vel 12 utplurimum contigit.

Vesica sponte rumpitur, vel aperitur arte, humorque contentus effunditur. Pluribus adhuc diebus stillat ulcus, sed sensim parcius.

Si primus effectus ille sufficit, sanari debet ulcus: si non sufficit, abscindenda est tota pellicula, irritandumque ulcus superimposito acri medicamento; vel alibi applicanda sunt rursus vesicantia.

§. 300. *De sinapismis.*

Eadem acria corpora sic adhibita, ut cutem tantummodo rubefaciant, dicuntur rubefacientia, & sinapismi; multoque sæpius forma cataplasmatum recipiuntur. His potest ad nutum suum artifex irritationem & dolorem continuare. Efficaciter quoque derivant; & idonea sunt maxime, cum ulcera & evacuationes, quæ fiunt a vesicantibus inutilia forent, aut ubi nocerent.

DE CORROSIVIS ET CAUTERIIIS.

§. 301. *Quid corrosivum, cujus utilitatis.*

Corrosivum sive corrodens id est, quod applicatum partibus vivis, eas lente consumit, efficax solo vitali motu factum. Hoc modo sæpe excrescentiæ, membranæ, pustulæ, calli absumuntur, & ulcera mundantur, & fiunt. Corrosiva vero numerosissima sunt & valde diversa. Acriora ac vere caustica, citius agentia, quorum quædam cutem in escharam etiam contrahunt, æque nominantur Cauteria potentialia.

§. 302. *Cauteriorum actualium effectus & usus.*

Cauterium actuale, seu ferrum candens, ipso momento partem contactam adurit, destruit, & escharam producit; calorem urentem latius, & profundius se diffundentem, ac inflammationem creat, & sanguinem cogit; ideoque si multum eodem loco sit auferendum, vel profunde adurendum, imprimis in ossibus, debet esse cauterii applicatio tantum momentanea, & inter singulas ejus applicationes expectandum donec ea pars refrigerit.

Cauteria insuper cito hæmorrhagias compescunt, suppurationem post partium amputationem accelerant, & ad mundanda, faciendaque ulcera recipi possunt. Verum eorum usus terret homines, & magnis incommodis obnoxius est; hinc nec adeo his temporibus laudatur, nisi ad morsus venenatos, & cariem.

INDICATIO MITIGATORIA.

§. 303. *Quando sit necessaria; quomodo tunc tractanda symptomata; num alia doctrina requiratur quam quæ hucusque jam tradita est.*

Symptomata morbi nimis urgentia, ergo quæ morbum minus tolerabilem, vel periculosiorem reddunt, mitiganda sunt: alioquin insanabiles morbi præcipue indigent mitigatione. Symptomata hæc, quæ postulant aliud ac ipse morbus, considerata sunt tanquam totidem morbi pendentes a suis propriis causis; adeoque communi medendi methodo hucusque jam proposita curari debent. Igitur pauca de præcipuis maximeque communibus, scilicet de siti, dolore, vigilia, lipothymia hic adhuc recolenda, vel dicenda superiunt.

DE SITI.

§. 304. *Quæ sitim levent.*

Medicamina sitim pellentia sunt quæ medentur oris & totius corporis siccitati, tum acrimoniis, humorum spissitudini, vasculorum minimorum contractioni spasmodicæ. Præter necessarias evacuationes, & antispastica propria, huc potissime pertinet aqua cum mucilaginosi, melle, saccharo, cremore tartari, nitro, aceto, succis acidis, acido vitrioli &c. forma potus, collutorii, enematis, balnei, adhibita. Oris irritatio lenis per collutorium acidulum facta mire juvat.

DE DOLORE LEVANDO.

§. 305. *Quæ sint auxilia doloris.*

Dolor, ut effectus causæ mechanicæ corpus lædentis, vel distractionis cujusvis, obstructionis, acrimoniæ, interdum ariditatis, quo mulceatur, requirit, ablationem ejusdem causæ mechanicæ, laxationem partis tensæ, mitigationem acrimoniæ, dilutionem humorum, eorumque fluxum liberiores & pacatiores, vasculorum reserationem. Dum vero nec auferri causa vel mitigari, nec corpus adversus eam muniri potest, tunc stupefacientia

ria sunt opus. Aliquando nihil juvat nisi dissectio vel destructio partis tensæ muscularis, nervæ.

DE VIGILIA.

§. 306. *Quæ remedia adversus vigiliam morbosam.*

Vigiliam ars vincit tollendo quoque causam mechanicam doloris, & causam varii majoris stimuli; compescendo nimium humorum impetum; removendo circulationis impedimenta; abigendo sollicitudines acerbæ; derivando sanguinem a capite per vim medicamentorum purgantium, vel per remedia partibus inferioribus applicata relaxantia, aut irritantia; sedando spasmos; adhibendo propria somnifera quando licet. Verum persæpe nihil valde proficit ante morbi ipsius emendationem.

DE LIPOTHYMIIS SEU DELI- QUIIS ANIMI.

§. 307. *Quibus excitentur qui linquntur
animo.*

Lipothymia seu animi deliquio laboran-
tem reficiunt quæcunque odore saporeve gra-
ta, olfacta, ore suscepta, deglutita; liquores
etiam acriores, & spiritus alcalini, eodem mo-
do adhibiti; adpersa aqua frigida cum impetu,
corporis situs horizontalis, frictio faciei,
frictio rudior in pedum plantis, agitatio cor-
poris, interdum enemata acria.

Ad illud denique præcavendum, aut cu-
randum, quærenda sunt remedia pro ratione
causarum in pathologia §. 86. memoratarum.
Præcipuæ sunt evacuationes nimix, spasmus, cir-
culatio languidior. Sed & sæpe fit deliquium
animi cum ista non præcesserunt, non aliter
ac si mirabile principium illud vitale, prorsus
incomprehensibile, certo tamen nervis insitum,
evanesceret.

§. 308. *Quæ sudorem supprimant.*

Sudorem debilitantem supprimunt aura
frigidula, potus frigidulus; quies, & levius
corporis operimentum; lotiones roborantes,
similiaque balnea; medicamenta inspissantia,
vel adstringentia.

§. 309.

§. 309. *Quæ salivationi succurrant.*

Salivationi succurrit sanatio ulcerum oris; adstrictio vasorum in glandulis & membranis oris relaxatorum; ablatio stimuli iisdem partibus applicati vel adhærentis; correctio sanguinis acris, ejusdemque nimis attenuati compactio; alvi purgatio.

§. 310. *De vomitu sedando.*

Vomitum sedat expulsio causæ sursum deorsumve tentata; vel ejusdem causæ enervatio; vel pacatio inordinati motus ventriculi.

Ut causa varia est, ita variis remediis enervatur. Acidam vincunt absorbentia, tum & alcalina: alcalinam, vel putridam acida: oleosam saponacea acescentia vel actu acida. Sæpe tantum obtundentia ex mucilaginosi, oleosis, dulcibus locum habent; vel aqua.

Motus inordinatos ventriculi pacant antispasmodica multa, quæ traduntur in materia medica; virtus opii; externe regioni ventriculi admota calefacta lintea, emplastra aromatica, similiaque fomenta.

Si sit vomitus ex inflammatione ventriculi, vel si causa nec tolli, nec satis debilitari queat, v. g. exerescentia, tunc sola medica-
men.

menta blandissima levissimaque, & aptus usus opii conveniunt.

§. 311. *Curatio diarrhææ dysentericæque.*

Materia diarrhæam vel dysenteriam excitans, si mobilis est, & in primis viis tota hæret, facile plerumque evacuatur.

Pendens a particulis corporum purgantium, aut aliorum acrium, in intestino restantibus, exigit usum inviscantium, ut sic illæ paulatim excernantur, nisi quodam menstruo solvi cito queant.

Inviscantia quoque necessaria sunt cum excoariatio vel ulcus intestinorum, bilis acrior vel corrupta, aut acris aliqua materia ex humorum massa distillans in intestina, vel comitantur vel faciunt hoc profluvium. Quin & antispasmodica & opiata ad minuendam intestinorum irritabilitatem actionemque nimiam perutilia sunt.

Sæpe vero fines vasculorum in tubum intestinalem exhalantium debilitati, vel laxati sunt, ideoque tunc conveniunt adstringentia.

Ubi præterea materia cognita est, debent adhibenda medicamenta purgantia, vel alia, esse

esse contrariæ indolis: sic opponitur acidum causæ putridæ, alcalinum vel absorbens acidæ, saponaceum oleosæ.

Si diarrhææ causa est humorum tenuitas aquosa vel purulenta, alia quædam excretio suppressa, inveteratum ulcus aliquod clausum, facile scitur quid factu sit opus.

§. 312. *De nimia diuresi curanda.*

Quum causæ diuresis nimix sint morbo-
sa vasculorum renalium laxitas, humorum tenuitas aquosa, eorundem motus nimius, imperfecta vel minus tenax miscela liquidi aquosi cum parte rubra, eorum ad renes derivatio major per viscerum obstructions facta, aliarum partium spasmi, impedita perspiratio, erunt iisdem causis aptanda medicamenta, ut minuat diuresis.

§. 313. *De hæmorrhagiarum curatione.*

Nulla evacuatio tam cito corporis vires prosternit, & animi deliquium producit, quam sanguinis effusio. Quemadmodum ex vulneribus nata hæmorrhagia curanda sit, jam §. 213. indicatum fuit; sed quoque nascitur ex plethora, acrimonia, æstu vehementi sanguinis, conatu majore corporis, ulceribus, graviditate, tum partis cujuspiam debilitate vel laxitate.

In omni hæmorrhagia quies est necaria ; & in nonnullis, maxime cum jam dejectæ sunt vires, non parum utilis est certus corporis situs, quo sanguinis pressio minuat in parte laborante.

Poterit venæ sectio prodesse cum vel plethora peccat, vel saltem adhuc satis sanguinis est, ut ex ejus imminutione subita non majus vitæ periculum sit, & talis insuper est vasculorum conditio, ut magis debilitata vi dilatante, se se contrahant.

Sic etiam adstringentia juvant quando sanguinis pressio magna non est, ergo & vasa satis depleta sunt. Si sanguis vehit multam acrimoniam, adstringentibus adjici debent obtundentia.

Frigidæ ac natura sua refrigerantes portiones in multis quidem hæmorrhagiis, longe sunt optimæ, sed præcipue dum sanguis æstuat multum.

Aqua frigida linteis excepta & applicata, frigoris sensum diffundit in totum corpus, reprimit rarefactionem sanguinis, & vasa contrahit. In uterum injecta, sola, vel cum adstringentibus, sæpe juvat ocyslime.

Hæmorrhagia, quam excitant, augent, vel sustinent animi affectus, dolores, spasmi, nimia cordis irritabilitas, desiderat usum opii, sed
cau-

cautissimum quando corpus valde exhaustum est.

Artubus injectæ ligaturæ, quæ venas comprimant, cum vasa jam plurimum depleta sunt, etiam profunt.

§. 314. *Quæ causæ aliæ lipothymiarum.*

Ceterum numerosæ aliæ lipothymiarum causæ, ut humorum indoles pituitosa, spasmi, nervorum & vitalium organorum remissio vel intermissio vi mirabili corporum quorundam olfactorum, gustatorum, ingestorum, in corpore natorum, morsu applicatorum facta, intelliguntur ex pathologiæ, & materiæ medicæ studio, indeque curandi ratio fluit.

Finis.

Errata præcipua.

<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>pro</i>	<i>lege</i>
21	9	alimesiti	alimenti
35	24	spasmos, ventriculi	spasmos ventriculi, dolores
47	15	msagi	magis
69	24	lutus	latus
106	22	tenius	tenuis
136	16	vocare	vacare
157	17	qualitum	qualitatum
204	26	§. 311.	§. 313.
209	6	cogestiones	congestiones



